
Pagliazzo ,


BESSARIONIS
graphica effigies ex perelegant
in Schola S.
CARDINALIS
pictura quae exstat Venetiis
Mariae Caritatis.



IN PERANTIQUAM SACRAM TABULAM GRÆCAM

INSIGNI SODALITIO

SANCTÆ MARIÆ CARITATIS

VENETIARUM

AB AMPLISSIMO

CARDINALI BESSARIONE

DONO DATAM

DISSERTATIO.

ILLUSTRISSIMIS, SPECTABILIBUSQUE D. D.

JACOBO ZUCCATO

MAGNO CUSTODI

CETERISQUE CONFRATRIBUS

VENERANDÆ SODALITATIS S. MARIÆ DE CARITATE

JOANNES BAPTISTA SCHIOPPALALBA

EJUSDEM SODALITATIS CAPELLANUS

FELICITATEM.



Amdiu quærebam, atque ab eo præſertim tempore, quo me Sacris celeberrimi Sodalitii hujus Veſtri curandis præfeciſtis, me-

mecum ipſe meditabar, qua potiſſimum ratione & meæ erga Vos obſervantiæ, & pro plurimis in me collatis beneficiis grati animi teſtimonium aliquod publicum ederem; cum Voſmetipſi pulcherrimam eamque juſtiſſimis æquam votis meis occaſionem præbuiſtis. Nam cum Illuſtriſſimus Dominus JOSEPH COMINCIOLI, Veſtræ hujus Nobiliſſimæ Sodalitatis Magnus elapſo anno Cuſtos, & de ipſa, pro tot, tantiſque rebus, nunquam interituro ejus ornamento futuris, præclare cœptis optime meritus, jam inde a ſui Regiminis primordiis nihil ſibi

ma-

magis propoſitum habuerit, quam ut antiquiſſimam Sacram Tabulam, Majoribus Veſtris a felicis recordationis Cardinali Beſſarione dono datam, in qua Salutiferæ Crucis, & Tunicæ Domini Noſtri Jeſu Chriſti portiones aliquot inſignes aſſervantur, temporis injuria haud leviter læſam, reficiendam, atque in priſtinum ſtatum reſtituendam curaret, Vos omnes non modo pari plenoque conſenſu annuiſtis, verum etiam pretioſi hujus ſacræ antiquitatis monumenti opus ectypum ære incidi, & publici juris fieri jubentes, ejus mihi illuſtrandi

pro-

provinciam demandaſtis. Quod profecto munus libentiſſime obeundum ſuſcepi, tum quia ſemper apud me auctoritas Veſtra plurimum valuit, tum quia hac mihi ratione ſum viſus Sodalitatis hujus Veſtræ dignitati, & gloriæ inſervire, quæ inter Confratres ſuos præſtantiſſimum illum in primis Virum, omnique laude cumulatiſſimum, tot ſibi benevolentiæ, atque exiſtimationis officiis addictum habuiſſe gloriari poteſt, ut publice teſtatum voluerit, prædictam Sacram Tabulam *nullibi poſſe tutius, honorificentius, & præclarius locari, quam in hac*

fe-

felicissima, & amplissima, ac Christianissima Civitate Venetiarum; ejusque Civitatis ad nullum alium potissimum locum, quam apud Venerabilem, & Devotissimam Congregationem Caritatis, cui sese adscriptum, dedicatumque voluit (a). Unum, fatebor, me a tanto onere, utpote quod viribus meis impar sentirem, subeundo deterruisset, ingenii scilicet exilitas, & eruditionis inopia, ac pæne jejunitas; nisi me benignitate, consilio, auctoritate denique Vestra ne animo deficerem hortati fuissetis.

Quam-

(a) Hæc scilicet verba leguntur in Charta Donationis a Card. Bessarione factæ, quam integram Operis hujus Cap. IX. exhibebimus.

Quamobrem Vobis, Illuſtriſſimi D. D., qui celeberrimo huic Sodalitio præeſtis, Tibi vero in primis hanc, qualiſcumque tandem ea ſit, Diſſertationem nuncupo, Humaniſſime Vir, omnique virtutum genere multo ornatiſſime, JACOB ZUCCATE, qui licet aliis graviſſimis muneribus diſtentus, quibus Veneti Excellentiſſimi Senatus auctoritate, cujus es a Secretis, ſumma cum dexteritate, neque minori cum integritate fungeris, maximam tamen hoc anno, quo Sodalitatem regis, rerum omnium curam, præclariſſimas cogitationes, incredibilem diligentiam

pro

pro ejus decore , ac dignitate ſuſtinere non deſinis . Veſtrum igitur erit imbecillitatem meam Patrocinio Veſtro tueri, meumque bene de hac Inſigni Sodalitate Veſtra merendi ſtudium ea humanitate complecti , ut me ſpe mea minime excidiſſe omnibus innoteſcat . Hoc enim uno tutamento , ac fulcimine innixus, ſicuti hoc opus aggreſſus ſum , ita me , multis Vobis nominibus devinctiſſimum , ſatis juſtam laudem, juſſis Veſtris obtemperando , aſſequutum fuiſſe gloriabor.

INDEX CAPITUM.

CAPUT PRIMUM.

De Sacrarum Tabularum ad Sancta Lipsana asservanda origine, usu, & forma apud antiquos Christianos.

I. Obilissimam S. Mariæ de Caritate Sodalitatem inter Magnas, ut vocant, Urbis hujus Venetiarum Scholas principem locum tenere, in dubium a nemine revocari potest; sive antiquitas ejus spectetur, qua ceteris anteire Scriptores omnes testantur (*a*); sive piorum operum multitudo, queis & pauperum necessitatibus occurrere, & Divinum semper cultum promovere studuit; sive tandem ratio habeatur tum conditionis Sociorum illustris, a quibus regitur, tum numeri Clarissimorum Virorum & Veneta, & Romana Purpura insignium, quin imo Principum etiam exterorum, atque longinquorum, qui ei nomina dederunt (*b*). Præ ceteris tamen omnibus Sodalitatis nostræ orna-

(*a*) Sodalitatis hujus exordia tum Anonymus Rerum Venetarum Chronologus, Sansoviuus de Veneta Urbe Lib. VII., aliique Scriptores, tum marmoreæ Epigraphes Scholæ parietibus affixæ, & antiquissimus Statutorum ejus Codex ad annum 1260. referunt die 6. Novembris Divo Leonardo Sacra. Citatus vero Anonymus conceptis verbis declarat, multos alios ex Venetis, pios nostri Sodalitii Confratres æmulantes, aliam anno sequenti 1261. instituisse Sodalitatem, quam S. Joannis Evangelistæ Scholam appellarunt.

(*b*) Longum nimis esset, atque a re nostra alienum, catalogum hic texere Venetorum Principum, & Patriciorum, quin & S.R.E. Cardinalium, Episcoporum, Abbatum, Ducum, & Principum exterorum, aliorumque Spectatissimorum Virorum, qui Sodalitatem Caritatis suis nominibus illustrarunt. Hoc a nobis alio fortasse tempore, & magis idoneo præstabitur. Sat nunc erit Nobilissimos memorare

mentis fulgent, ac supereminent tot veneranda Sanctorum Lipsana, honorificentissime in Sacris ejus Ædibus servata, inter quæ perantiquæ illi Sacræ Tabulæ, Vivificæ Crucis, & Tunicæ D. N. Jesu Christi particulis ornatæ, de qua nobis instituendus est sermo, primas tribuendas esse fatebuntur omnes, quibus compertum fuerit, Amplissimum Cardinalem Bessarionem, cujus ipsa munus est singulare, publice professum, *nihil in hac vita habuisse pretiosius*, *nihil Sanctius*, *nihil de quo magis animi desiderium*, *& devotionem explere posset* (*a*).

2. Ut igitur ea qua par est diligentia imposito muneri satisfaciam, antequam ipsius Tabulæ descriptionem suscipio, nonnulla de harum Tabularum origine, usu, & forma adnotabo : quod quidem liceat mihi aliquanto altius repetere. Sanctorum Reliquias magno semper in honore habitas fuisse a nascentis Ecclesiæ primordiis, dubitare non sinunt Acta primorum Martyrum quæ extant, Veterumque omnium Patrum luculentissima testimonia. Memores enim Chri-

---

morare ex Japponiæ Regno Principes *Mantium Ito*, Regis Fiungæ nepotem ; *& Michaelem Cingivam*, Regis Arimæ Consanguineum; illum Regis Bungi, hunc Regis Arimæ ad Romanum Pontificem Legatos, eorumque socios *Martinum Fara*, & *Julianum Nicaura*, Principes Regni Tingen, qui cum, Legatione peracta, Venetias appulissent anno 1585. ; & die v. Julii ad Sacras nostri Sodalitii Ædes acessissent, ut Sanctorum Lipsana in ipsis servata venerarentur, non modo in Confratrum numerum recipi, & albo Sodalitatis habitu a Magno Custode, tunc Julio de Nigris, indui petierunt, sed suorum etiam Regum nomina eidem Sodalitio adjicientes, jurejurando promiserunt, aliud hujusmodi sub eodem Caritatis titulo in suis Regionibus instituturos: cujus rei memoriam tum ex Lapide, cui creditam voluere Loci Rectores, tum ex Mss. Sodalitatis Codicibus typis evulgavit, aliisque illustravit documentis Præstantissimus Venetus Senator, multisque eruditissimis editis Operibus Clarissimus ; Flaminius Cornelius (*Eccl. Ven. Dec. VII. pag. 202. & seqq.*)

(a) *Charta Donationis citata.*

Christifideles Sudaria, & Semicinctia Pauli (*a*), imo umbram ipsam Petri solam (*b*) ægros sanasse, & spiritus immundos e corporibus ejecisse, jure persuasum semper habuerunt, sancta hujusmodi pignora nobis a Deo fuisse concessa, *ut sint nobis*, verbis utar Chrysostomi (*c*), *veluti portus quidam*, *& idoneum solatium malorum*, *quæ assidue nos affligunt*.

Primis autem tribus Ecclesiæ Sæculis nondum invectum morem fuisse reor, arculas, seu capsulas, aut ejusmodi vasa condendi, in quibus portiones aliquot e Sanctorum Corporibus detractæ, pro Fidelium privata devotione reponerentur; tum quia nulla de illis apud Sæculorum illorum Scriptores mentio, tum quia temporum illorum ea consuetudo erat, ut integra servarentur Sanctorum Corpora, ex quibus ne tenues quidem licebat particulas auferre: quam consuetudinem Sexti quoque Sæculi initio, imo eo etiam labente, saltem apud Occidentales, viguisse discimus ex Epistolis S. Germani ad Hormisdam Pontificem sub Consulatu Rustici Anno D. 520. (*d*); & Magni Gregorii ad Constantinam Augustam Anno 594.; qui inter cetera hæc habet: *Cognoscat autem tranquillissima Domina*, *quia Romanis consuetudo non est*, *quando Sanctorum Reliquias dant*, *ut quidquam tangere præsumant de corpore* (*e*).

Ad IV. tamen Sæculi initium harum capsularum, seu the-

(a) *Act.* XIX. 12.
(b) *Ibid.* V. 15.
(c) *Homil. in S. Ignat. Mart. circa fin. Tom. II. Ejus Oper. pag.* 601. *Edit. Ven.* 1755.
(d) *Ap. Baron. in Not. ad Martyrolog. ad diem* XV. *Jun.*
(e) *Registri Epistolar. Lib. IV. Epist.* 30. *Edit. Ven.* 1744.

thecarum origo referenda esse videtur. Post restitutam enim Ecclesiæ pacem, inventumque a Magno Constantino Vitale Crucis Lignum, nemo est qui ignoret quanto in pretio apud omnes fuerint ejus quælibet minima frustula, quantoque animi desiderio ab omnibus expetita: quod in causa fuit, cur ab illis quibus hæc sors obtigerat, ea summo cum honore, ac reverentia argenteis, aureisque thecis inclusa servari cœperint; id testante Chrysostomo (*a*) his verbis: *Particulam ejus* (Crucis) *multi sumentes auro inclusam tum viri, tum mulieres a collo suspendunt ad ornatum*: quæ quidem consuetudo secutis postea temporibus ad Sanctorum etiam Reliquias traducta est.

3. Quemadmodum autem tum Vivificæ Crucis, aliorumque Instrumentorum Sacratissimæ Passionis Christi, tum Sanctorum omnium Lipsana, ut pluribus probant Ducangius (*b*), & nunquam satis laudandus Pontifex Benedictus XIV. (*c*), *Patrocinia* ab antiquis vocata fuere, ita capsulæ illæ, sive arculæ, aut thecæ, in quibus ea recondita erant, *Phylacteria* Græco vocabulo appellabantur, quod nempe servarentur, vel deferrentur εἰς φυλακτήριον, ut loquitur Theophanes (*d*), hoc est *in custodiam* adversus hominum insidias, adversus fallacias Dæmonum, ceteraque infortunia, quibus obnoxii homines in hoc terrarum orbe esse solent: φυλακτὴρ enim Græcis idem sonat quod Latinis *Custos*. Atque id optimo quidem consilio: quippe Christifidelium Ecclesia reli-

(a) *Lib. Contr. Judæos Tom. I. pag.* 572.
(b) *Glossar. Med. & Inf. Latin.* V. Patrocinia.
(c) *De Servor. Dei Beatific. Lib. IV. Par. II. cap.* 4. *n.* 14.
(d) *Anno XXXI. Copronimi pag.* 375. *Edit. Paris.*

religiosam superstitiosæ observationi opponere volens, non modo Ethnicorum Phylacteria (*a*) ut diabolicas inventiones, apud Christianos etiam invectas proscripsit, sed Sacras præterea Reliquias tantum, aureis, vel argenteis, aut alterius cujusvis materiæ thecis inclusas, hoc vocare nomine cœpit, fucosis illis, vanitatisque refertis hæc vere Sancta, & divinam quamdam adversus nociva quæque virtutem habentia subrogans, ipsumque nomen quodammodo sanctificans.

4. Hujusmodi Phylacteriorum quædam erant minora, majora quædam; inclusaque in singulis plerumque habebatur Vitalis Ligni particula. Minora collo appendebantur, testantibus antiquis Patribus, inter quos, ut supra diximus, S. Joannes Chrysostomus. Hinc a Græcis ἐγκόλπια vocabantur, quippe quæ catenulis de collo ad pectus pendentia

---

(a) Phylacteriorum usus antiquissimus apud Ethnicos, qui ut a certis morbis, certisque periculis immunes essent, collo appensos gestabant lapides quosdam, sive metalli laminas, sub certis astrorum aspectibus, insculptas characteribus magicis, ut videre est apud Pignorium (*Charact. Aegypt.*) Jacobum Gothofredum (*Leg. III. Cod. Theodos. de Malef.*); & Carolum Patinum (*Introduct. a la Connoiss. des Medailles pag.* 140.). *Amuleta* etiam vocata fuere, imo apud Medii Sæculi Scriptores *Brevia*, & *Ligaturæ*. Ad hoc genus referenda putant nonnulli ea antiquorum Idola, quæ iter facientes, aut cum hostibus congressuri, in viis, & castris secum adferebant, quorum nempe tutelæ, fideique vitam, & fortunam crederent, ut fuse probat Spencerus (*De Legib. Hebræorum Ritual. Lib. III. Cap.* 3. *Dissert.* 1.) utque colligere licet ex Rachelis historia, patris sui Teraphim suffurantis (*Gen.* XXXI.). Quemadmodum autem hæc Gentium deliramenta per os Patriarcharum, & Prophetarum se odisse testatus est Deus, ita ea Catholica Ecclesia semper exsecrata est, ac tandem in Laodicensi Concilio (*Can.* 36.) vetuit, illisque Sanctorum Reliquiis ornatas thecas suffecit, Phylacteriorum retento nomine: quod nec novum, nec singulare in Ecclesia Dei, quæ res plurimas, atque usus ab Ethnicis institutos, eorumque nomina ad sanctiorem cultum redegit, ut probant P. Michael-Angelus Carmeli, magno Litterariæ Reipublicæ detrimento nuperrime defunctus, in Opere, cui titulus: *Storia di varj Costumi Sacri, e Profani*, & Joannes Marangonius in Tractatu inscripto: *Delle cose Gentilesche ad uso delle Chiese*.

tia gestabantur; ἐγκολπίζω etenim a κόλπος *sinus*, est *in sinum recipio*: unde Anastasius (*a*): *Crucem cum pretioso Ligno, vel cum Reliquiis Sanctorum ante pectus portare suspensam ad collum, hoc est quod vocant Encolpium*. Ejusmodi Encolpia ab Imperatoribus præsertim, & Patriarchis Constantinopolitanis gestari solita fuisse testatur Octava Synodus (*b*), testantur passim Byzantini Scriptores, a Ducangio (*c*) citati, testantur denique Numi, in quibus *Encolpium* perspicue exhibetur: atque ab hoc more Episcopis auream, vel argenteam Crucem è sinu pendentem gestare Sacris Reliquiis refertam usuvenisse, post Magrium (*d*) merito credidit Philippus Venutus (*e*).

5. Encolpii, sive minoris Phylacterii forma plerumque videtur fuisse Crucis: quod constat non modo ex citati Anastasii verbis, sed etiam ex Gregorio Magno, qui ad Theodelindam Langobardorum Reginam scribens hæc habet: *Adulovaldo Regi transmittere Phylacteria curavimus, idest Crucem cum Ligno Sanctæ Crucis Domini* (*f*). Interdum tamen eadem rotundæ, interdum etiam quadratæ formæ fuisse colligimus tum ex iis, quæ de Encolpio Romani Diogenis refert Ducangius (*g*), tum ex historia alterius Encolpii, quod Martinus Abbas anno 1205. Ecclesiæ Parisiensi largitus est, quodque Græcorum Principes collo appensum diebus maxime

(a) *Ad Act.* v. *Octavæ Synodi*.
(b) *Act.* VIII.
(c) *In not. ad Alexiad. Annæam pag.* 247. *Edit. Paris. & Dissert.* 26. *ad Joinvillam*.
(d) *Hierolex.* V. Encolpium.
(e) *Dissert. de Cruce Cortonensi pag.* 22.
(f) *Epistolar. Lib. XIV. al. XII. Epist.* 12. *al.* 7.
(g) *Not. ad Alexiad. pag.* 277.

me feſtis ſoliti erant circumferre ; ut ex Gunthero refert Raynaldus (*a*).

6. Sed ad majora Phylacteria, ad quæ noſtra certe Tabula ſpectat, veniamus. Horum itaque originem in Orientali Eccleſia nonnulli, ut notat laudatus Venutus (*b*), ad annum Ær. Chr. 971. referunt, in quo Imperator Joannes Tzemiſce, poſt celebrem illam victoriam ex Bulgaris relatam, de qua loquitur Zonaras (*c*), Conſtantinopolim ingreſſus, Deiparæ Virginis Imaginem, cui victoriam illam referebat acceptam, triumphali currui, quem ipſi Senatus paraverat, impoſitam, albo inſidens equo anteceſſit. Ab eo igitur anno horum Phylacteriorum uſum apud Auguſtos Byzantinos inductum putant; atque hujus opinionis fautorem ſe habere autumant eruditiſſimum Ducangium (*d*), qui tamen ſolum aſſeruit, Cruces omnes, aut Tabulas noſtræ adſimiles poſſeſſoribus ante id temporis pro privatis tantum Phylacteriis inſerviiſſe: quod quidem non inficiabimur. Earum vero originem apud Orientales licet ignorare fateamur, anteriorem tamen eſſe Joannis Tzemiſce Imperio credimus: quod probare videtur inſcriptio Crucis Cortonenſis a laudato Venuto illuſtratæ, quam Clariſſimus Auctor Nicephoro Phocæ, dicti Joannis anteceſſori, adjudicandam cenſet; atque adeo ceteris omnibus ejuſmodi Græcanicis Phylacteriis, quotquot uſque adeo novimus, antiquiorem probat: quod certe conſtat ex iis quæ de hoc argumento diſſeruerunt eruditiſſimi

C viri

(a) *Annal. Eccl. Tom.* 1. *Ann.* 1265. *n.* 41.
(b) *Diſſert. cit. pag.* 17.
(c) *Annal. Par. III.*
(d) *Diſſert. XXVI. in Joinvillam.*

viri Bernardus Montfauconius (*a*), Carolus Ducangius (*b*), Anselmus Costadonus (*c*), Philippus Venutus (*d*), Antonius Franciscus Gorius (*e*), & inter alios doctissimus, præstantissimusque Senator Venetus Flaminius Cornelius, qui tres hujusmodi Tabulas Græcas in Ducalis Basilicæ S. Marci Cimeliarchio adservatas, ea qua solet eruditione, post Joannem Theupolum (*f*) illustravit (*g*): quibus, ne ab aliis actum agere videar, ne verbum quidem addam.

7. Altius vero repetenda videtur horum Phylacteriorum origo in Occidentali Ecclesia. Inter antiquissimos namque ritus Monasterii Farfensis, quod saltem VII. circiter labente Sæculo erectum constat ex ejus Chronico, a Clarifs. Ludovico Antonio Muratorio edito (*h*), hæc legimus: *Post versum seniores ponant Philacterias super altare hinc inde, sicuti in choro consistunt* (*i*): & in Vita S. Benedicti Ananiensis Abbatis, qui ad Sæculi VIII. finem, & IX. initium florebat, memoratur *Tabula Sacrata, in qua Beati Dionysii erant Reliquiæ, aliorumque Sanctorum plantatæ* (*k*). Ex quibus colligere licet, antiquiorem etiam in Ecclesia Occidentali, quam in Orientali fuisse usum ejusmodi Sacra Phylacteria super alta-

---

(a) *Diar. Ital. Cap. IV. pag.* 53. *& seq.*; *& Palæogr. Græc. Lib. IV. cap. 6.*

(b) *Dissert. cit.*

(c) *Observat. in pervet. Icon. Ligni S. Crucis.*

(d) *Dissert. cit.*

(e) *Comment. de Mitrato J. C. Capite.*

(f) *Trattato delle Santissime Reliquie ec.*


(g) *Eccl. Ven. Illustr. Dec. XIII. Par.* 1. *pag.* 152. *& seqq.*

(h) *Rer. Italicar. Tom.* II. *Par.* II.

(i) *Guidon. Discipl. Farfen.*

(k) *Sæc. XIV. Benedict. Par.* 1. *pag.* 206.

altaria publicæ fidelium venerationi ſtatuendi: quæ conſuetudo jam inde ab eo tempore initium cœpiſſe, atque inoleviſſe videtur, quo, nimis aucto eorum numero, qui aut morum ſanctitate, aut ſanguinis effuſione Eccleſiam Dei illuſtrarunt, Sanctorum nomina in Sacris Diptychis ſcripta legi in Eccleſiis, ut moris erat, deſueverunt, & Dipthyca ipſa cum Sanctorum Reliquiis ſuper altaria Sacrorum Myſteriorum tempore collocari cœperunt: quod ex Miſſæ Flaccianæ apud Edmundum Martene (*a*), & Dionyſianæ apud Salig (*b*) erui notavit Sebaſtianus Donati in eruditiſſimo opere Italice edito de Veterum Dipthychis (*c*); cujus exemplar ad me Luca dono miſit eximiæ doctrinæ vir, mihique amicitia conjunctiſſimus Joannes Baptiſta Marcucci, Congregationis Matris Dei Lucenſis Presbyter, cui & pro aliis monumentis, quibus huic meo labori perficiendo operam contulit ſuam, gratum animum teſtor. Dubium itaque oriri poſſet, utrum Latini a Græcis, ut putat Cl. Coſtadonus (*d*), an vero Græci a Latinis morem hujuſmodi Tabulas condendi, & in ipſis Lignum S. Crucis inferendi mutuati fuerint: cui dubitationi pondus addit Crux illa, quæ in Theſauro Baſilicæ Baptiſterii Florentini adſervatur, ab Antonio Franciſco Gorio in citato Commentario illuſtrata, quæ nullum exhibet Græcanicæ inſtitutionis, aut moris characterem, & Caroli Magni Francorum Regis donum fuiſſe creditur.



C 2   8. Ut

(a) *De Antiq. Eccl. Rit. Lib. I. cap. 4. art. 12.*
(b) *De Diptychis Veter. &c.*
(c) *De' Dittici degli Antichi Lib. I. cap. 17. pag. 63.*
(d) *Obſervat. cit. cap. 1.*

8. Ut ut ſit (poſſent enim Phylacteria, ſeu Tabulæ, de quibus apud laudatos Scriptores ſit mentio, Imperatorum, & Patriarcharum Orientalium fuiſſe munera, ad Principes, & Monaſteria Occidentalis Eccleſiæ miſſa; licet hoc probari minime poſſit) illud certum eſt, Phylacteria majora Græca, de quibus præſertim loquimur, Auguſtorum, & Auguſtarum potiſſimum Conſtantinopolitanorum, aliorumque Imperialis Familiæ Principum devotioni condita, ac dicata fuiſſe: quod ſatis conſtat ex iis pene omnibus Tabulis, quotquot novimus a citatis Auctoribus illuſtratas, & de noſtra item mox aperte conſtabit. Iis autem poſſeſſores non pro Phylacteriis tantum privatis utebantur, ſed ea fidei etiam faciendæ, vel ſecuritatis firmandæ gratia, & in mutui pacti, ac ſacramenti confirmationem ſæpe illis tradebant, mittebantve, cum quibus pactionem inierant: qua occaſione, licet minora etiam Phylacteria, ſive Encolpia adhiberi ſolita Byzantini referant Scriptores, majoribus tamen tum plerumque uti conſueviſſe teſtantur, cum de maximi momenti rebus, ac de plena, & quæ neminem præterire deberet ſponſione ſancienda agebatur: cujus rei teſtimonium, ut alia omittam, habetur in Alexiade Annæa (*a*). Cum enim Alexii Imperatoris Mater Anna Dalaſſena in propriæ ſecuritatis pignus ab Auguſto Nicephoro Botoniate Crucem petiiſſet, oblatum a Strabomano ejus Miniſtro *Encolpium* recuſavit, *Majus* ab Imperatore *Phylacterium* poſtulans: *quod ideo dicebat* (ſubdit Auctor Nobiliſſima) *ut manifeſtum exſtaret indicium jurisjurandi ſibi præſtiti; ſi enim in parva Cruce promiſſio facta eſſet, latuiſſet ea plurimos.*

9. Quod

(a) *Lib. II. pag.* 53.

9. Quod vero ad majorum horum formam Phylacteriorum spectat, saltem apud Græcos, videtur usitatior fuisse quadrata; nam talia sunt ea omnia, quæ in Occidentalium Ecclesiarum thesauris ex Oriente asportata visuntur. Σταυροὶ, seu *Cruces* ab ipsis vocabantur, quia in illis reconditæ Crucis particulæ exstabant, mediumque in ipsis locum tenebat Crux, vel ex ipso Vitali Ligno, vel ex pretiosa aliqua materia efformata: *Tabulæ* autem, *Tabelli*, & *Tabuleta* a Latinis appellabantur, quia ex asse vel picto, vel auro, aut argento incluso confecta erant. Apud hos tamen nonnulla formam etiam Crucis habuisse adparet ex laudata Cruce Basilicæ Baptisterii Florentini, licet theca illa, in qua nunc clauditur, recentis sit artificii.

His de origine forma, & usu Phylacteriorum apud Christianos in genere delibatis, ad Tabulæ nostræ descriptionem gradum faciamus.



CA-

CAPUT SECUNDUM.

Tabulæ nostræ Generalis Descriptio.

I. X crasso Tiliæ Orientalis asse Tabula hæc nostra constat, cujus longitudo XVI. uncias Veneti pedis æquat, latitudo XI; crassitudo vero $1\frac{1}{3}$. Ejus antica pars pictis imaginibus, multicoloribus lapillis, unionibus, nonnullisque argenteis laminis deauratis ornatur, posticam vero argentea lamina tegit. Margines, seu extremitates ejus aliæ efformant crassiores laminæ ex cupro deaurato, totamque Tabulam argenteus pes excipit, ac sustinet, in hastæ formam desinens, ut ad gestationem in publicis supplicationibus sit accommodata.

Assis ad quartam circiter unciæ partem in medio ita est excavatus a vertice, XIV. uncias in longum, VII. vero in latum, ut quamdam veluti capsulam repræsentet, quæ ejusdem ligni operculo clauditur, a summitate immisso per quosdam canaliculos, seu commissuras, in ipsius assis lateribus, quæ hinc inde supereminent, iccirco efformatas. Operculo amoto adparet in media Tabula exquisiti operis Crux ex argento deaurato filatim elaborata, in qua Christi Cruci affixi imago ex argento pariter deaurato fusa conspicitur. Ad Crucis latera quatuor hinc illincque Icones prominent, quarum duæ superiores, in lamina argentea deaurata anaglyptico opere sculptæ, Sanctos Archangelos Michaelem, & Gabrielem, inferiores vero, in vitro depictæ, Costantinum Magnum, Divamque matrem ejus Helenam exhibent.

Inter

Inter ſuperiores, & inferiores Icones duæ in ipſa Tabula excavatæ arculæ exſtant, duæque aliæ ſub inferioribus imaginibus, quæ totidem argenteas thecas deauratas continent; in quarum primis duæ Vivificæ Crucis D. N. Jeſu Chriſti portiones, in ſecundis vero particulæ duæ Sanctiſſimæ ejus Tunicæ aſſervantur. Reliquam tandem interioris Tabulæ aream veſtiunt argenteæ laminæ, encauſto cærulei coloris, aureiſque huc illuc ſtellulis depictæ.

2. E Tabulæ noſtræ pede argenteis catenulis appenſæ pendent parvula Crux, & Ancora ex argento efformatæ (Tab. I.). Prima in parvæ thecæ formam efficta conſpicitur, in qua Vitalis Ligni particula aliqua quondam ſervabatur. Ea Crux eſt pectoralis (ut vetus habet apud Sodalitatis noſtræ Confratres traditio) ipſius Beſſarionis. Ab eo autem ferunt ancoram etiam ſupradictam collo pendentem una cum pectorali Cruce geſtari conſueviſſe: cujus rei teſtimonia cum invenire non potuerim, doctiſſimum Dyrrichii Archiepiſcopum Joſephum Schirò, cujus ſummam in me benignitatem nunquam ſatis mirabor, per litteras conſului; qui ſolis conjecturis ſententiam hac de re ferri poſſe, humaniſſima ad me data reſponſione, nuper expoſuit. Nam cum apud Græcos S. Martyris Clementis Ancyrani nomini, & ſepulcro ea præcipue ratione honor, & cultus in dies magis auctus fuerit, quod ex ejus invocatione, ac meritis plurimi urgentes fluctus, & ſævas maris tempeſtates evaſerint, id apud eos in more poſitum eſt, ut aureas, argenteas, ferreas, plumbeas, & ligneas etiam ancoras, pro cujuſque conditione, ac viribus ſibi comparent, eaſque S. Martyris Aræ, Lipſaniſque devote primum admotas, atque ex eorum contactu quodammodo ſanctificatas, collo

appen-

appenſas propterea geſtent, ut adverſus maris pericula ſacro aliquo pignore, ac præſidio muniantur. Hujuſmodi porro eſſe putat laudatus Archiepiſcopus ancoram hanc noſtram, quam Beſſario, vel ex voto emiſſo impendentis alicujus tempeſtatis, a qua fuit ereptus, occaſione, vel devotionis ergo, tamquam Sacrum Amuletum gerere ſolebat. Neque alienum a vero eſſet, ſi quis exiſtimaret hujuſce nautici inſtrumenti formam, tamquam firmitatis Fidei Symbolum ad aliorum exemplum fuiſſe a Beſſarione perlatam. Notum enim eſt, ac pervulgatum opus S. Epiphanii Conſtantiæ, ſeu Salaminæ in Cypro Epiſcopi, titulo *Ancorati* inſcriptum, quo ceu ſacra ancora ſtabilirentur Fideles, ne a falſorum dogmatum fluctibus, aut ab omni vento doctrinæ circumferrentur.

3. Tandem argenteæ illi laminæ, quæ poſteriorem Tabulæ partem exornat, altera minor lamina affixa cernitur, in qua hanc ipſe Beſſario ſculpendam curavit Epigraphen, de qua Diſſertationis hujus capite x. iterum inſtituendus erit a nobis ſermo.

BESSARIO. EPISCOPUS. SABIN.
CARDINALIS. NICÆNUS. PATRIARCHA. CONSTANTINOPOLITANUS.
BEATÆ. VIRGINI.
MARIÆ. SCHOLÆ. CARITATIS.
VENETIIS.

4. Sola hæc generalis Sacræ Tabulæ noſtræ deſcriptio ſatis ſuperque Franciſci Sanſovini (*a*) errorem detegit, qui tantum

(*a*) *Venez. Deſcritta. Lib. VII.*


tantum laudati Cardinalis munus ſimplicem tabulam, imo tabellam pictam, non vero ſolidum opus, ac pretioſiſſimum, cujuſmodi revera eſt, exiſtimavit: quem errorem ipſiſſimis Sanſovini verbis exſcripſit Petrus Antonius Pacificus (*a*). Nec veritati omnino conſonum eſt quod Anonymus quidam Congregationis Oratorii Auctor (*b*) nuperrime, de eodem Sacro Pignore verba faciens, vulgavit; auream nempe Crucem illud vocans, in qua Vitalis Ligni particula, & parvula Dominicæ Veſtis portio clauſa ſervatur: quæ partim falſa eſſe, partim vero minus accurate expoſita, ex iis, quæ ſpeciatim de ſingulis Tabulæ noſtræ partibus differemus, clarius conſtabit.



(a) *Cronaca Veneta. pag.* 481.
(b) *Vite e Memor. de' SS. ſpett. alle Chieſe di Venez. Tom. IV. pag.* 119.

CAPUT TERTIUM.

De Picturis, quæ anteriorem Tabulæ nostræ partem exornant.

1. N quatuor igitur quasi segmenta antica Tabulæ hujus nostræ facies dividitur: etenim a vertice excavatus in medio assis, ut diximus, duo latera, & basim Lipsanothecæ efformat; medium vero segmentum reliquis latius, licet ab ipsa Tabula sejunctum, ut monuimus, vices tamen operculi gerens, in unam quodammodo cum duobus lateribus, & basi continuam superficiem coalescit, ut Tab. II. repræsentat.

Pictis imaginibus universa hæc superficies ornatur, gypso primum, deinde coloribus, ac denique gummea quadam litura ad splendorem, durabilitatemque inducta. Singula duo latera, perpendiculari descriptione servata, in tres æquales areolas parallelogrammæ formæ distinguuntur, in quarum singulis præcipua Christi Patientis Mysteria repræsentantur. Inter unam, & aliam areolam veluti quædam angusta parastasis ex argento deaurato, multicoloribus lapillis, atque unionibus ornata, media est; singulis autem Græca superposita habetur inscriptio.

2. Prima dexteri lateris areola (A) turbam multam exhibet cum laternis, facibus, & armis, Juda Iscariote præeunte, a quo utpote amplexante, & os ad os apponente, Christus Jesus proditus cernitur, ut ipsa quoque Epigraphe ΠΡΟΔΟϹΙΑ testatur, hoc est *Proditio*.

3. Lævi lateris oppositi areola (B) prima (Historiæ namque sequi malumus ordinem, quam eum quo dispositæ

sunt

ſunt tabellæ) Herodem Antipam Galileæ Tetrarcham, qui id temporis Paſcha celebrandi cauſa Hieroſolymis verſabatur, repræſentat, ſtricto ſceptro exiſtentem inter exercitus ſui Duces, mediumque inter duos milites Jeſum, tunica coccinea, & purpurea qnadam veluti ſtola indutum, quaſi ab ipſo Herode illuſum, & ad Pilatum redeuntem : quod explicat inſcriptio Ο ΕΜΠΑΙΓΜΟϹ, ideſt *Illuſio*,

Patet ex Lucæ Evangelio (*a*), Herodem, ad quem Chriſtum miſerat Pilatus, cum de multis illum interrogaſſet, nullumque ab eo reſponſum tuliſſet, ſpreviſſe illum cum exercitu ſuo, & tamquam fatuum, ac ſenſu carentem hominem contempſiſſe, indutumque veſte alba ad Pilatum remiſiſſe. Cujuſnam generis veſtimentum hoc fuerit diſſident inter ſe Eruditi, ut apud Caſaubonum (*b*) fuſe de hoc differentem licet inſpicere. Veroſimilior tamen eorum videtur ſententia, qui obſervantes græcam dictionem λαμπρὰν, quæ apud Evangeliſtam legitur, non proprie quam dicimus *albam* veſtem ſignificare, ſed *ſplendidam* potius, & *nitentem*; quod magis fulgorem, quam colorem veſtium indigitat; regale hic indumentum deſignari putarunt. Eo enim modo quaſi fatuum illuſum fuiſſe conſtat ab Herode inſignibus regiis Dominum, affectati Regni accuſatum : ut etiam animadvertunt ad hunc locum Tirinus, & Calmet, qui hoc adjungunt, ex Syriaca verſione hic *coccineam* veſtem deſignari, ſeu *purpuream* Regibus propriam, & Chriſto irridendo appoſitam : quam verſionem Eruditi plures ſequun-

D 2

(a) *Cap.* XXIII. *v.* II.

(b) *Exercit.* XVI. *in Baron.*

quuntur Baronius (*a*), Montacutius (*b*), Stukius (*c*), aliique.

Pictor igitur noster regalibus indutum vestibus Servatorem repræsentans, duos hosce colores distinxit, *Coccineum* in tunica, & *Purpureum* in stola. Licet enim duo hi colores sæpius a Scriptoribus confundantur, diversos tamen esse probat inter alios Joannes Braunius (*d*), qui *purpura* rubrum quidem colorem significari affirmat, sed exuberantem, & instar nigricantis rosæ; *coccino* vero rubrum, sed rubedine florida, hilariori atque dilutiori instar rosæ micantis.

4. In secunda ejusdem lævi lateris areola (C) Christus designatur flagellatus; quod hoc verbo exprimitur Η ΜΑΣΤΙΓΩΣΙΣ, seu *Flagellatio*. Non omnino nudus in Tabula nostra exhibetur Jesus, sed ad modestiam satis velatus: quod licet omnium Scriptorum sententiæ adversari affirmet Suarezius (*e*), magis tamen veritati consentaneum esse credimus cum Augustino Calmet (*f*), Ægidio Strauchio (*g*), & Joanne-Jacobo Seypellio (*h*).

A duobus tantum militibus non virgis, ut liberi, sed flagris, ut servi affici solebant (*i*), cæsus pingitur, ut communior fert opinio: quippe *semetipsum exinanivit*, *for-*

(a) *Ad Ann.* XXXIV. *n.* 39.
(b) *Origin. Eccles. Tom. I. Par. II. pag.* 387.
(c) *Antiquit. Conviv. Lib. II. cap.* 26.
(d) *Vestit. Sacerd. Hebr. Lib. I. cap.* 10.
(e) *In* 3. *Par. D. Th. Tom. II. Disp.* 36. *Sect.* 4.
(f) *Dissert. de Suppliciis S. Script.*
(g) *De Flagellandi ritu ap. Hebr. num.* 20.
(h) *De Flagellandi ritu ap.* Rom. *num.* 15.
(i) *Paulus l.* 4. *ff. de incen. ruin. & naufrag. Ulpian. l. levia ff. de pœn.*

formam servi accipiens (*a*). Quatuor fuisse lictores, diræ hujus Pilati immanitatis ministros affirmat Cornelius Jansenius Yprensis Episcopus (*b*); unum vero tantum ex Hieronymo (*c*), Romanorum more Pilatum hæc decrevisse docente, colligi posse docet Benedictus XIV. (*d*); cui in id consentientibus Scriptoribus omnibus, singularis Venerabilis Bedæ (*e*) sententia non probatur, qui nimium forte litteræ inhærens, Jesum flagellis cæsum non ab alio, quam ab ipso Pilato arbitratur. Eidem vero Bedæ merito opponitur inter alios Lyranus (*f*), docens Pilatum flagellasse Jesum *non per se ipsum immediate*, *sed per milites suos*, *ac ministros*. Serryus item (*g*), & D. Hieronymi vestigia premens, & Buxtorfii auctoritati innixus, seu consuetudini tam Romanorum, quam Hebræorum inhærens, stat pro uno lictore flagellante. Ceterum nihil certi de eorum numero, qui Dominum flagellarunt, statui posse affirmat cum aliis Clarissimus Cardinalis Gotti (*h*).

5. Pedibus columnæ alligatis, & manibus inter se fune strictis Servator cernitur, quemadmodum Ecclesiæ fert traditio, quicquid effutiat Calvinus, ut observatum est a Gretsero (*i*), eaque columna oblonga, & alta est, respondetque columnæ illi, quæ visitur in Cœmeterio S. Nicolai ad Car-

(a) *Philipp.* II. 7.
(b) *In Cap.* XXVII. *Matth.*
(c) *Comment. in idem Matth. cap.*
(d) *De Festis D. N. J. C. Lib.* I. *cap.* 7. §. 54. *pag.* 187. *Edit. Rom.* 1751.
(e) *In Marci Cap.* XV.
(f) *In Cap.* XIX. *Joann.*
(g) *Exercit. LII. num.* 4.
(h) *Della Verità della Relig. Crist. Tom. IV. Par. II. cap.* 25. §. 1.
(i) *Lib. I. de Cruce cap.* 10.

Carcerem Tullianum, ante ſeptingenteſimum annum facta, ut notat Federicus Cardinalis Borromæus (*a*). Cujuſmodi ea vere fuerit, diverſa Scriptores tradunt. Breviorem fuiſſe probabilius putant nonnulli, inter quos laudatus Serryus: ipſiſſimam enim columnam, in qua Jeſus Chriſtus flagellatus fuit, quamque in Eccleſia Montis Sion poſitam quondam fuiſſe teſtantur Auctor Itinerarii Hieroſolymitani (*b*), qui Conſtantini temporibus vixit, Hieronymus (*c*), Gregorius Turonenſis (*d*), & Venerabilis Beda (*e*), ex orientalibus partibus anno 1223. a Joanne Cardinali Columna, cum Legati munus ibi exerceret, delatam, & Romæ in Eccleſia S. Praxedis collocatam fuiſſe, ubi nunc etiam adſervatur, Raphael Volaterranus (*f*), Onuphrius Panvinius (*g*) Alphonſus Ciacconius (*h*), aliique Scriptores tradiderunt. Hanc vero columnam Romanam, quæ brevis eſt, ut ejus ectypa oſtendit imago a Joanne Ciampino (*i*) evulgata, licet integram eſſe probabilius judicet P. Honoratus a S. Maria (*k*), ejus tantum partem tamen eſſe alii eruditi viri cenſent, inter quos laudatus Benedictus XIV. (*l*). Cui quidem ſententiæ favere videntur memorati Patres, & præcipue citato loco Hieronymus, qui de Paula ſacra loca Hie-

---

(a) *De Pict. Sacra Lib. II. cap.* 4.
(b) *Ap. Gretſer. loc. cit.*
(c) *Epiſt.* 108. *al.* 27.
(d) *De Glor. Martyr. Lib. I. cap.* 7.
(e) *De Loc. Sanct.*
(f) *Antropol.* 22.
(g) *Tract. de VII. Eccl.*
(h) *Vit. Pontif. & Cardin. in Jo. Columna.*
(i) *Vet. Monim. Par. I. Tab.* XLIX.
(k) *Animadv. in Reg. Crit. Lib. V. Diſſert. V. Art.* 3.
(l) *De Canonizat. Sanctor. Lib. IV. Par. II. Cap.* X. §. 16.

Hierosolymis perlustrante ait : *ostendebatur illi columna , Ecclesiæ porticum sustinens , infecta cruore Domini , ad quam vinctus ducitur , & flagellatur :* quæ verba humili nimis Romanæ Columnæ convenire non videntur, nisi pars tantum esse dicatur, basis scilicet, seu capitulum ejus Columnæ , qua , juxta Hieronymum , porticus Ecclesiæ Montis Sion fulciebatur.

6. Exhibetur in secunda lateris dexteri areola (D) Christus vestimentis suis iterum indutus, & ligatis manibus, adstante , ut videtur Pilato, & alio Principe, seu Regulo, cujus vestis stellulis aureis distinguitur , ab uno milite ductus ad crucifigendum, ut his verbis adnotatur : ερκο εςϱ ; quæ contractæ inscriptionis voces ita supplentur : ἐρκόμενος ἐπὶ σαυρȣ̃ , idest *vadens ad Crucem* ; quod expresse habemus apud Matthæum (*a*) : *& milites induerunt eum vestimentis ejus , & duxerunt eum ut crucifigerent .*

7. Tertia ejusdem lateris areola (E) Christi Crucifixionem designat . Cernitur itaque erecta jam Crux , quam miles quidam ad basim cuneis adigens firmat . Cruci Scala adposita , ac duo milites Servatorem in Crucem attollentes ; nempe alter ad sinistram erecto scamno superpositus eum efferens, alter e terra ex alia parte eumdem sustinens. Ipsa Epigraphe ΙC ΧC ΑΝΑΒΑC ΕΠΙ CΤΑΥΡΟΥ , hoc est *Jesus Christus ascendens in Crucem* , modum hunc Crucifixionis declarat , quem exhibet pictor , quemque usitatiorem apud antiquos fuisse probat Lipsius (*b*) ; licet in Crucem etiam humi positam aliquando agi sontes consuevisse

(a) *Cap.* XXVII. *v.* 31.
(b) *De Cruce Lib. II. cap.* 7.

visse tradat. Hinc quamvis inter Scriptores quæstio sit, utrum Servator noster erectæ, an vero humi positæ Cruci affixus fuerit, & pro secunda hac opinione stent Salmeron (*a*), Quaresmius (*b*), & Gretserus ipse (*c*), qui eam existimat probabiliorem, in erectam tamen Crucem actum existimant Eruditi pæne alii omnes, qui de hac re disseruerunt, Binæus (*d*) Nicquetus (*e*), Calmet (*f*), Vetus Auctor Tragediæ, cui titulus *Christus Patiens*, Benedictus XIV. (*g*), Serryus (*h*), qui hoc inter omnes *certo certius* affirmare non dubitat, Sandinus (*i*) aliique permulti, quorum sententiæ favent Veteres Patres Athanasius (*k*), Hilarius (*l*), & Augustinus (*m*).

8. Oppositi lateris areolam tertiam (F) occupat Jesu Christi a Cruce avulsio, seu depositio, illique titulus Ἡ ΑΠΟΚΑΘΗΛΩCIC, hoc est *Refixio*. Ambæ Christi manus è clavis liberæ pendent, infra cujus brachium dexterum pars ejus corporis superior a B. Virgine sustinetur; scalæ autem innixus vir quidam lævum Domini brachium sinistra, reliquumque Corpus a tergo dextera manu sustentat. Josephum ab

(a) *Tom. X. Comment. in Evang.*
(b) *Elucidar. Hist. Theol. & Mor. Terræ Sanctæ Tom. II. Lib. V. cap.* 36.
(c) *Loc. cit. cap.* 11.
(d) *De Morte Christi Lib. III.*
(e) *Hist. Tit. S. Crucis. Lib. I. cap.* 19.
(f) *In cap.* XXVII. *v.* 32. *Matth.*
(g) *De Festis D. N. J. C. Lib. I. cap.* 7. §. 83. *pag.* 212.
(h) *Exercit. LIV. num.* 2.
(i) *Hist. Fam. Sacr. cap.* 13. *de Christo* §. 18.
(k) *Serm. de Pass.*
(l) *Lib. X. de Trin.*
(m) *In Append. Serm. de Divers. Serm. LIX. cap.* 3.

ab Arimathæa hic a pictore credimus repræſentari ; ejus enim caput circumſtat nimbus , quo Sanctitas ejus deſignatur. Græca quippe Eccleſia eum ſemper coluit, ejuſque feſtum celebrat die 31. Maii. Etiam in Martyrologio Romano nomen ejus legitur, ſed multo ſerius ſcriptum , nempe poſt annum 1585. (*a*). Ad Crucis denique ſuppedaneum vir ſenex conſpicitur , qui e Chriſti pedibus clavos educere nititur , quique Nicodemum forte exhibet ; ac poſt eum , ſed in parte ſuperiori vir junior viſitur , qui S. Joannem Evangeliſtam repræſentat , licet ob inſcitiam pictoris nimbo carentem, quo Virgo Maria , & Nicodemus emicant.

9. Tandem areola (G) quæ baſim, ut diximus, Lipſanothecæ hujus efformat, quæque inter adhuc deſcriptas areolas interjacet, Chriſti Sepulturam deſignat, eique ſuperpoſita inſcriptio : ΤΟ ΕΠΙΤΑΦΙΟΝ , ſeu *Epitaphium* : quæ quidem vox pro ſepulcro ponitur in veteri Inſcriptione apud Gruterum (*b*) : Græcos autem medii , & inferioris ævi , *Chriſti in ſepulcro jacentis imaginem* hac voce ſignificaſſe obſervat , ex Simeone Theſſalonicenſi (*c*), Jacobus Goar apud Ducangium (*d*).

Funeris Chriſti curatores fuiſſe duo diſcimus ex Evangelio, Joſephum nempe ab Arimathæa, & Nicodemum , non ex infima plebe viros , ſed illuſtres , ac nobiles : primum quidem divitem Decurionem , qui a Pilato petiit Corpus Jeſu (*e*) , ſecundum vero Principem Judæorum (*f*) , qui

 magnam ,

(a) *Bolland. die* VII. *Mart. pag.* 507. 508.
(b) *Inſcript. Ant. Tot. Orb. Tom. IV. pag.* LXXXVII. *Edit. Amſtel.* 1707.
(c) *Lib. de Templo.*
(d) *Gloſſar. Med. & Inf. Græcit.*
(e) *Luc.* XXIII. 50.
(f) *Joann.* III. 1.

magnam, quam secum ferebat aromatum copiam, illi curando, & ungendo suppeditavit (*a*). Duo alios in hac areola nobis exhibet pictor, præter eos; Mariam nempe Dei Matrem, & Joannem Evangelistam. Cernitur itaque Christi Corpus extra sepulcrum sindone involutum, & linteis, fasciisque a pedibus ad collum usque colligatum, ut moris erat apud Judæos (*b*). Prope ejus pedes Nicodemus, ad genua S. Joannes, ad caput Joseph, quasi ex ostio monumenti, quod in petra quadrato ferme opere excavatum repræsentatur, Sacratissimum Corpus excepturus. Inter hos media Beata Virgo quasi osculum mortuo Servatori figens: quam quidem, licet Evangelistæ taceant, Josepho tamen, & Nicodemo Christi pollinctoribus adjungit Metaphrastes, itidemque universa fere pictorum turba, illiusque sacrum vultum sudario, ut ferebat usus, detersisse scribit (*c*). Ceterum hic observandum superest, prædictas figuras omnes nimbo esse circumdatas, præter unum Nicodemum. Illud item animadversione dignum duco, Beatæ Mariæ Virginis vestem aureis maculis parvulæ rosæ formam referentibus (quibus alii parvulas cruces floridas, alii vero stellulas a pictore exhiberi voluisse conjiciunt) conspici depictam, quarum una velum quo ejus frons obtegitur, adumbrat: quod etiam in simili habitu ejusdem Virginis in areola Refixionis, quam declaravimus, observare licet. Sed de his parvulis Crucibus, ac stellulis nonnulla inferius adnotabimus.

10. Re-

(a) *Ibid.* XIX. 39.
(b) *Ibid.* *v.* 40.
(c) *Orat. de Ortu & educat. SS. N. Deip.*

10. Reliquum eſt ut de picturis, quæ Tabulæ operculum (H) exornant, loquamur. Servator igitur in medio operculo viſitur Cruci adfixus, promiſſis capillis ex una tantum parte, ſeu ſiniſtra defluentibus, brevique barba, ut paſſim in Orientalium Imperatorum numis conſpicitur; nec tamquam mortuus clauſis oculis, ſed tamquam vivus, ac pæne loquens exprimitur: quod pluribus inſpectis monumentis ſe obſervaſſe teſtatur laudatus Antonius Franciſcus Gorius (*a*) in antiquiſſimis Chriſti in Cruce ſuſpenſi imaginibus.

11. Crux ejus eſt generis, quæ vocatur *immiſſa*, in qua ſcilicet ſtipes ſupra lignum tranſverſum eminet: quam Crucis Chriſti veram fuiſſe formam communior eſt Patrum, & Interpretum ſententia, quamvis pro *commiſſa*, quam Græcorum littera Tau, & Latinorum T repræſentat, nonnulli ſtare videantur, ac præcipue Serryus (*b*); quas inter partes, tamquam ſpectator otioſus aſſidet Sandinus.

12. Nullus Cruci noſtræ Titulus; ſed tantum circa ſuperiorem ſtipitis extremitatem hinc atque illinc in lamina argentea deaurata, quæ ibi operculum tegit, ſculpta Epigraphe Η CΤΑΥΡΩCΙC, ideſt *Crucifixio*. Hæc autem eadem Epigraphe etiam ſub lamina prædicta in ipſa Tabula legitur characteribus antiquiorem ævum redolentibus, minio depictis: quod mihi, cui Tabulæ huic reficiendæ præeſſe commiſſum fuit, datum eſt obſervare. Tituli defectum non modo in Crucibus illis, quæ Stationales vocabantur, de quibus erudite inter alios agit Ciampinus (*c*), ſed in plu-

(a) *De Mitrato Cap. J. C. pag.* 159.
(b) *Exercit. LIII. num.* 4.
(c) *Veter. Mon. Par. II. cap.* 6.

tibus etiam aliis Servatoris Iconibus Cruci adfixis notavit Dominicus Maria Manni (*a*). Quo autem consilio Titulus omitti consueverit apud veteres, quem supra Crucem a Judæis positum omnes testantur Evangelistæ (*b*), aliorum judicio relinquit laudatus Auctor : quem ego quoque non ejus tantum, sed aliorum etiam Scriptorum exemplo, & præsertim laudatissimi Laurentii a Turre (*c*), qui idem usu olim venisse observavit in Imagine Christi Cruci adfixi in antiqua Tabula sculpta, potius imitari statueram, quam nullius momenti conjecturis acquiescere. Verum cum acris ingenii, optimæque eruditionis viro Bartholomæo Sabbionato Mothensi (quocum plurimis ab hinc annis arctissima mihi intercedit amicitiæ necessitudo, & familiaritas, qua fit, ut litterarios labores nostros, bono quidem utriusque emolumento vicissim communicemus) meum hac de re propositum patefecissem, hujusce omissionis haud improbabilem causam, ut mea sane fert sententia, mihi suggessit. Cum enim ex Stephani Infessuræ Chronico, ut observat Joannes Ciampinus (*d*), & post eum Sandinus (*e*), titulus Crucis mille circiter annos latuerit, sive usque ad annum 1492. sub Innocentio VIII. in summitate majoris arcus Basilicæ Sessorianæ, seu S. Crucis in Hierusalem, illic inclusus vel ab ipsa D. Helena Constantini Matre, ut vetus habet ejus Basilicæ Inscriptio, vel a Valentiniano III. qui anno 425. fuit ad Imperium evectus, ut referunt Honuphrius Panvinius,

---

(a) *De Tit. S. Cruc. Cap.* XIII. *num.* 4.

(b) *Matth.* XXVII. 37. *Marc.* XV. 26. *Luc.* XXIII. 38. *Joann.* XIX. 19. & 20.

(c) *Dissert. de duobus Psalt. Forojul.*

(d) *De Sacris Ædific. Cap.* III.

(e) *Loc. cit. Cap.* XV. §. II.

nius, (*a*) & Joannes Severanus (*b*), hinc factum eſt, ut ante Sæculum XVI. Pictores fere omnes Crucem Domini effingentes, & ab archetypo abludere ſibimet ipſi religioni ducentes, eam ſine titulo, ut re vera in dicta Eccleſia ad ea uſque tempora conſpiciebatur, repræſentarint. Ceterum non inficiabimur nonnullas etiam antiquiſſimas Cruces reperiri Titulo ornatas; inter quas memoratu digna eſt Tabula quædam eburnea, vulgo *Pax* appellata, quam inſigni Capitulo Forojulienſis Eccleſiæ, ubi etiamnum aſſervatur, dono dedit Urſus Dux Cenetenſis, Petri Forijulii Ducis Frater, qui juxta Sigonium anno 705. florebat. In ea enim Chriſti imago Cruci adfixi ſculpta cernitur, in cujus ſummitate hujuſmodi legitur inſcriptio: IHSNAZA
REXIVDE
quod mihi per humaniſſimum, mihique amiciſſimum ſingularis doctrinæ, atque eruditionis Virum Joannem Joſephum Liruti, diverſis, iiſque inſignibus Operibus, ac præcipue Monetis Forojulienſibus, Notitiiſque Forojulienſium Eruditorum Virorum editis, Orbi Litterario ſatis cognitum nuper innotuit.

13. Non omnino nudus Jeſus Chriſtus a pictore noſtro exhibetur Cruci adfixus, ſed lata zona a renibus pæne ad genua uſque nuda protegente. Nulla capiti ejus corona ſpinea: quatuor clavis confixus: pedibuſque ſubjecta tabella eſt, in qua plantæ illæ ſacræ quieſcunt, & unamquamque clavus figit: quæ omnia num hiſtoricæ veritati conſentanea ſint breviter inquiremus.

Nudum

(a) *De VII. Urb. Eccl. pag.* 126.
(b) *Mem. Sacr. delle VII. Chieſe di Roma pag.* 586.

Nudum igitur prorſus in Crucem ſublatum fuiſſe Jeſum ab Evangelii Scriptoribus licet aperte non ſignificetur, haud obſcure tamen indicatum fuiſſe obſervant plerique Interpretes, Sanctorum Patrum pæne omnium auctoritatibus innixi, inter quos præſertim Auguſtinus (*a*). Huic ſententiæ calculum adjecit Benedictus XIV. (*b*), qui laudabilem ceteroqui cum omnibus conſuetudinem vocat, imagines Jeſu Chriſti Cruci adfixi non omnino nudas repræſentandi, ut ſpectantium honeſtati parcatur. Huic vero Clariſſimo Auctori ſæpe memoratus Serryus (*c*) præiverat, qui copioſum Patrum, & Eruditorum numerum pro ſua parte pugnantium congeſſit. Imo Alphonſus Paleottus (*d*) hoc ex Prophetarum vaticiniis adſtruere conatur.

Nobis tantorum pace Scriptorum magis arridet cum D. Anſelmo (*e*) eorum opinio, qui velamine aliquo ea, quæ pudor celari jubet, obvolutum fuiſſe Jeſum tradiderunt, dum Cruci adfigeretur. Nam præterquamquod viri hiſtoriæ profanæ periti (*f*) eos, qui in crucem agebantur, non prorſus nudos è cruce pependiſſe teſtantur, nullo etiam negotio in hanc ſententiam Patres omnes conſentire probari poteſt, ut obſervat Gretſerus (*g*), qui nudum in Cruce ſuſpenſum fuiſſe Jeſum ſcribunt. Nudus enim vulgo dicitur, cui, ceteris

---

(a) *Lib. XII. contr. Fauſt.*
(b) *Loc. cit.* §. 88. *pag.* 213.
(c) *Exercit. LIV. num.* 9.
(d) *Spiegaz. della S. Sindone cap.* VI.
(e) *Dial. de Paſſ. Dom. cap.* X.
(f) *Menoch. de Rep. Hebræor. Lib. VI. Cap.* 2. *Toſtat. Paradox. V. cap.* 42. *Salmeron. Tom. X. cap.* 35.
(g) *Lib. I. de Cruce cap.* 22.

teris licet veſtibus expoliato, pars aliqua corporis adhuc velata remanet : non ſecus ac Joannes (*a*) nudum ait fuiſſe Petrum, cum illi manifeſtavit ſe Jeſus ad mare Tiberiadis; quem tamen non omnino nudum fuiſſe communior eſt Interpretum opinio. Hoc autem magis convenire videtur Divinæ Servatoris honeſtati, ut pluribus probat citato loco Toſtatus.

14. Quod ad Spineam Coronam ſpectat, ea ne capiti impoſita fuerit Chriſtus in Crucem actus, an ſecus, ut in Tabula noſtra, diſputant Scriptores. Cum autem nihil certi de hac re tradiderint Evangeliſtæ, qui pro Corona pugnat, Tertulliani (*b*), & Origenis (*c*) nituntur auctoritate. Horum tamen verba, poſt Tillemontium (*d*), ad examen revocavit laudatus Laurentius a Turre (*e*), atque ab iis contrarium erui probare contendit. A veritatis quidem ſpecie abhorrere doctiſſimo quoque Auguſtino Calmet (*f*) videtur, Chriſtum coronato capite Cruci adfixum fuiſſe : quippe milites poſtquam illuſerunt eum, antequam ad crucem ducerent, Regni fictitias omnes ademiſſe notas probabiliſſimum eſt : niſi tamen velimus ad Calvarium Coronam rurſus eidem immiſſam a militibus Romanis, ut verbis *Rex Judæorum* ſuperpoſito titulo inſertis reſponderet : quæ videtur eſſe opinio Duranti, Mellonii, & Ayalæ apud Bene-

(a) XXI. 7.
(b) *Lib. contr. Judæos cap.* 13.
(c) *In Matth.* XXVII. 7.
(d) *Mem. Eccl. Tom. I. Art.* 18.
(e) *Diſſert. cit.*
(f) *In Matth.* XXVII. 35.

Benedictum XIV. (*a*). Quoquo modo res se habeat, serius certe, ut animadvertit Cl. Gorius (*b*), mos invaluit, ut caput Jesu Christi Cruci adfixi spinis coronatum exhiberetur: quod in pluribus picturis, atque sculpturis antiquis se observasse testatur.

15. Non funibus, ut ex Heterodoxis nonnulli (*c*) somniarunt, sed clavis confixum fuisse Servatorem certo certius evincitur ex multis Scripturæ locis (*d*). Eos autem non tres, sed quatuor fuisse, singulos nempe in quovis pede, ac manu, ut Tabula nostra repræsentat, ita communis Eruditorum fert opinio, Gregorium Turonensem (*e*), aliosque antiquos Patres (*f*) sequentium, ut de hoc non sit cur loquendo diutius immoremur. Eruditis enim abunde consultum a doctissimis viris Baronio (*g*), Quaresmio (*h*), Curtio (*i*), Rocca (*k*), Bellarminio (*l*), Ayala(*m*), Serryo (*n*), Bonarrotio (*o*), Benedicto XIV. (*p*), & aliis, qui præter alia testantur, antiquissimas imagines Jesu Christi vel pictas, vel cælatas, vel sculptas, eum quatuor clavis

(a) *Loc. cit. §. 89. pag. 215.*
(b) *Comment. cit. pag. 179.*
(c) *Westfalus apud Corn. Curtium de Clavis Dom. cap. 2.*
(d) *Psal.* XXI. *v.* 18. *Zacchar.* XII. 10. *&* XIII. 6. *Joann.* XX. 25.
(e) *De Glor. Conf. Lib. I. cap. 6.*
(f) *Auct. Serm. de Pass. Dom. inter Cypr. Opera. August. Medit. cap.* VI. *Innocent. III. Serm. de Uno Mart.*
(g) *Ad Ann.* XXXIV. *num.* 118.
(h) *De Vulnerib. Chr. Tom. II. cap. 9. Sect. 5. & 6.*
(i) *De Clav. Dom. cap. 2.*
(k) *Comment. de Partic. S. Cruc. Tom. I. pag. 262.*
(l) *In Proem. Opusc. de VII. Verb. Chr.*
(m) *Pict. Christ. Lib. III. cap. 17.*
(n) *Exercit. LIV. num. 3.*
(o) *Osservazioni sopra tre Antichi Dittici pag. 263.*
(p) *Loc. cit. §. 87. pag. 212.*

vis Cruci suffixum exhibere . Unum tantum notabimus a laudato Cl. Bonarrotio observatum , eam nempe consuetudinem, Servatoris Imagines pingendi, utrumque pedem, alterum alteri superpositum , atque unico clavo perforatum habentes, quæ hodie in Occidentali Ecclesia, licet non ubique , servatur (Græci enim de quatuor clavis Dominicis traditionem mordicus tenent) originem habuisse tantum XIII. Sæculo, quo instaurari Artes cœperunt, & quo Margaritonem , ac Cimabuem primos tribus tantum confixas clavis pictis coloribus repræsentasse scimus Imagines illas Christi Cruci adfixi, quæ Florentiæ visuntur in Ecclesia S. Crucis. Quod forte consilium, ut notat laudatus Auctor , celebres Pictores cœperunt, Christi Imagines elegantius pingere autumantes, quas tunc nonnulli artifices, pedibus ad decussis figuram dispositis, pingebant, qui tamen singulis quique clavis erant confossi; ut probat Jesu Christi Imago a laudato Curtio (*a*) exhibita. Paulo altius tamen Curtius ipse (*b*) petendum esse putat consuetudinis hujus initium, atque auctoritate ductus Lucæ Tudensis (*c*), ab Albigensium Hæresi eam manasse probat , qui præter alios errores , Imagines etiam Sanctorum impie fœdarunt, & Servatoris utrumque pedem in Imaginibus uno tantum clavo confixerunt , cum antea binis clavis suffixi pingerentur.

16. De Tabula item illa in infima Crucis parte posita, cui Servatoris pedes adfixi conspiciuntur , non levis apud Eruditos est disputatio. Eam quidem suppositam Christi pedibus fuisse docent perantiquæ aliæ Imagines innumeræ a

F lau-

(a) *De Clav. Dom. cap.* 11.
(b) *Ibid. cap.* 5.
(c) *Lib. II. contr. Albigen.*

laudatis Auctoribus illustratæ, veteres numi apud Lipsium, & summæ auctoritatis Scriptores apud Gretserum (*a*), Augustinum Calmet (*b*), Benedictum XIV. (*c*), & alios. Ex veterum quoque Patrum testificatione nil hoc certius esse affirmat Serryus (*d*); quamvis re vera solus Gregorius Turonensis (*e*) tabulæ adfixas Christi plantas fuisse perspicue tradat: reliquis omnibus, qui pro hac sententia laudari solent, Patribus id obscure admodum indicantibus.

Sedile vero, seu fulcimen, quo in crucem acti velut inequitantes sustentabantur (de quo plures antiqui Auctores a P. Serryo relati (*f*) mentionem fecerunt, cujus tamen vix ullus ex recentioribus, quod mirum sane est, notitiam habuisse videtur) neque in Cruce nostra interiori, neque in ea de qua agimus, neque in aliis duabus minorum arearum, ubi Christus in Crucem sublatus, ab eademque depositus repræsentatur, ullo modo conspicitur expressum.

17. Ad Crucis latus dexterum Deipara Virgo, maximo, & floribus intersperso nimbo circumdata, non quidem exanimis, quod Patrum auctoritati adversatur, sed stans, ut ab Evangelistis describitur, & dolens, vultu in Filium converso, dextera manu in modum orantis extensa, sinistra vero faciem sustentans: quem quidem gestum proprium esse doloris erudite probat Cl. Bonarrotius (*g*), a quo idem obser-

(a) *Lib. I. De Cruce cap. 24.*
(b) *In cap. XXVII. Matth. v. 32.*
(c) *Loc. cit. §. 85. pag. 209.*
(d) *Exercit. LIII. num. 6.*
(e) *Lib. I. De Glor. Martyr. cap. 6.*
(f) *Loc. cit.*
(g) *Osservaz. sopr. alcuni Medaglioni, pag. 335. 336.*

obſervatum fuit in Diptycho Rambonenſi (*a*) . Juxta Mariam item ſtantes, & juſtum animi dolorem præſeferentes viſuntur tres aliæ Mulieres , omnes ſine nimbo, de quibus Matthæus (*b*) , ſcilicet *Maria Magdalene*; *Maria Jacobi* , *& Joſeph Mater*; *& Mater filiorum Zebedæi* . Primam non ſororem Lazari fuiſſe, ut plures Interpretes apud Maldonatum (*c*), ſed peccatricem illam , ex qua Jeſus Chriſtus ſeptem ejecerat Dæmonia (*d*) , credimus cum Petro Bleſenſi apud Benedictum XIV. (*e*), pluribuſque Divini Verbi Interpretibus , inter quos Auguſtinus Calmet (*f*) . Secunda S. Jacobi Minoris mater, & Joſephi (forte illius Barſabæ vocati, qui cognominatus eſt Juſtus (*g*) , ſi fides eſt Origeni (*h*), cui Tillemontius (*i*) non conſentit) ſoror erat Deiparæ Virginis, & uxor Cleophæ (*k*) . Tertia tandem mater erat S. Jacobi Majoris, & S. Joannis Evangeliſtæ Filiorum Zebedæi , & vocabatur Salome, ut obſervant cum Origene plures Interpretes apud laudatum Calmet.

18. Illud in veſte , ſeu pallio , quo Beata Virgo , atque altera qua ex reliquis tribus SS. Mulieribus ſuperindutæ viſuntur, obſervatione haud prorſus indignum exiſtimo, quod illius veſtem aureis Crucibus , hujus autem ſtellulis pariter aureis contextam Pictor repræſentavit . Porro Veſtibus Sa-

F 2 cris

(a) *Oſſervaz. ſopr. tre Ditt. pag.* 266.
(b) *Cap.* XXVII. *v.* 56.
(c) *In Matth. l. c.*
(d) *Luc.* VIII. 2. 4.
(e) *Loc. cit. cap.* VIII. §. 44. *pag.* 283.
(f) *In Matth. loc. cit.*
(g) *Act. I.* 23.
(h) *In Matth. Tract.* 28.
(i) *L. cit. Not. VII. ſur S. Pierre*.
(k) *Joann.* XIX. 25.

cris plures Cruces intexere solebant antiquitus cum Græci, tum Latini, ut in Musivis, & antiquis Romæ picturis passim conspicitur, easque propterea *Polystauria*, seu *plurium Crucium*, & *Gammadia*, a littera Γ *Gamma* ad modum Crucis quadrupliciter disposita, vocabant: de quibus fuse agit Magrius in Hierolexico, & alias laudatus Ciampinus (*a*). Recte autem hujusmodi veste induta pingitur Deipara, cujus animam in Unigeniti Filii morte per Crucem is dolor pertransivit, ut cum eo Cruci adfixam per compassionis affectum fuisse SS. PP. jure meritoque nos doceant.

Quod vero ad alterius mulieris vestem attinet, aureis stellulis contextam, eam apud veteres Imperatorum, & aliorum militari gloria illustrium Virorum, cum triumphali pompa in Capitolium vehebantur, fuisse propriam testantur non modo quæ de Nerone Claudio Cæsare narrat Svetonius (*b*), qui *reversus è Græcia ..... Romam eo curru, quo Augustus triumphaverat, & in veste purpurea, distinctaque stellis Chlamyde introiit*; sed quæ etiam de Scipione refert Appianus (*c*). Illi enim post secundum Punicum bellum e Lybia redeunti cum Senatus triumphum decrevisset, *togam purpuream aureis stellis intextam* inter alia regalia ornamenta laudatus Auctor assignat. Hinc, quantum conjectura licet augurari, ideo forte Pictor ejusmodi stellis piæ hujus mulieris vestem distinxit, ut in ea Mariam Magdalene exhiberet. Ea enim vulgo Magdali Princeps fuisse fertur; quamquam alii non ex patriæ urbis nomine, sed ab arte capil-

los

(a) *Monim. Vet. Par. I. cap. 13.*
(b) *In Nerone cap. 25.*
(c) *Lib. I. Punicor.*

los comendi *Magdalam* appellatam fuisse tradant, ut videre est apud Calmetum (*a*).

19. Juxta lævum Crucis latus S. Joannes Evangelista exhibetur & ipse stans, demisso tamen, tristique vultu, & dexteræ manui in doloris argumentum innixo. Propius Crucem miles, arundinem manu gestans, in cujus summitate spongia, quam aceto plenam Christi sitientis ori obtulisse scimus (*b*), & post eum nonnulli alii viri & mulieres: quod Evangelicæ Historiæ omnino cohæret (*c*). Inter hos longius a Cruce vir, circa cujus caput nimbum adposuit Pictor, & scutum sinistræ manui implicatum; cujus adspectu Centurionem ab eo repræsentari voluisse credimus. Hunc enim, qui Jesum Christum verum Dei Filium esse confessus est, martyrium subiisse Græci tradunt (*d*), ejusque Festum die XVI. Octobris celebrant (*e*). Longini eum nomine vocant, quem tamen ab eo diversum, qui lancea Christi latus aperuit, & cujus Latina Ecclesia memoriam colit ad diem XV. Martii (*f*), probat Tillemontius (*g*). Quo de argumento videndus etiam sæpe laudatus Serryus (*h*); neque omittendus Sandinus (*i*), qui & in hac re passus non est diligentiam desiderari suam. Quod vero maxime mirandum est neque hic Centurio, neque quisquam alius miles cum lancea manu districta hic depictus adparet;

(a) *Diction. Bibl.* V. Maria Magdal.
(b) *Joann.* XIX. 29.
(c) *Luc.* XXIII. 49.
(d) *Chrysost. Homil.* 89. *in Matth. Metaphr. ad diem* 16. *Octob.*
(e) *Menolog. Græcor. ad diem dictam.*
(f) *Bolland. die* 15. *Mart. pag.* 376.
(g) *Mem. Eccl. Tom. I. Not.* 38. *sur N. S. J. C.*
(h) *Exercit. LIV. num.* 6.
(i) *Loc. cit. cap.* XIV. §. 3.

ret ; cum tamen Servatoris latus lancea transfixum conspiciatur.

20. Supra Crucem hinc inde duo Angeli volantium instar, pallio induti (mos enim Græcis constans Angelos non nudos, ut nostrates, sed vestitos repræsentare) eoque vultum quasi operientes : quod apud antiquos non solum doloris, & tristitiæ (*a*), sed reverentiæ quoque signum erat (*b*). Ceterum vetustissimis pæne omnibus Christi Cruci adfixi Imaginibus duo saltem Angeli adsistunt, atque ministrant : quod etiam hac tempestate in pluribus Ecclesiis licet intueri. Hæc autem consuetudo, ut observat laudatus Bonarrotius (*c*), in Ecclesia invaluit, ut rudem populum de Verbi Divinitate, & Consubstantialitate adversus Arrianorum errores certiorem redderet.

21. Tandem ad Crucis basim tres milites sedentes, manibusque Vestem Servatoris versantes adparent. In ea Pictor Inconsutilem Tunicam oculis subjicere voluisse videtur, cujus portiones in Tabula nostra adservantur ; quamque milites non sciderunt, sed integram servarunt, jacta sorte cui illa cederet (*d*). Et quamvis nec tesseras, nec talos, nec hujusmodi aliquid apposuerit (jaciendarum enim sortium ratio, cujus non unus erat ritus, neque in Scriptura liquido adparet, neque diffidentibus inter se Interpretibus satis constat, ut a doctissimo Calmet (*e*) observatum) satis habuit milites repræsentare quasi animo hærentes, & dubios

---

(a) *II. Reg.* XV. 30. & XIX. 4. *Esth.* VI. 12.
(b) *III. Reg.* XIX. 3.
(c) *Osservaz. sopra alcuni Framm. di Vasi Ant. di Vetro pag.* 9. *e pag.* 270.
(d) *Joann.* XIX. 24.
(e) *Diction. Bibl.* V. Sors.

dubios, eam ne in frusta dissecarent, an sorti committerent. Tres vero milites tantum hic sedentes pinxit, quos quatuor fuisse ex Evangelio (*a*) constat; quartum enim stantem, & spongiam aceto plenam sitienti Servatori offerentem jam pinxerat.

22. Hæc fusiori forte calamo, quam par erat, prosequi voluimus, ut pleraque ea, quæ in Tabula nostra depicta descripsimus, & historicæ veritati, & SS. PP., atque melioris notæ Interpretum sententiis conformia esse constaret. Unum tantum hic addam, ne cui quærendi detur occasio, quid illud sit quod in dexteri lateris areola prima (A) læva Servator gestat, Mappæ illi persimile, quam Consules, atque Imperatores in numis, in diptychis, aliisque veteribus monumentis, manu ferentes conspiciuntur. Mappam quidem illam, volumini, seu ut vulgo vocant, rotulo fere similem, Consulum fuisse proprium Insigne, ludorumque Circensium edendorum symbolum, constat ex iis quæ plures Eruditi Viri disseruerunt, inter quos legi meretur Carolus Ducangius (*b*) Quod vero in Tabula nostra Jesus sinistra gerit, vere Volumen Novæ Legis exhibere ab eo editæ, illudque pictorem imitatione quadam antiquitatis repræsentare voluisse is sibi facile persuaserit, qui in antiquissimis Christianorum monumentis a Ciampino, Arringhio, aliisque Scriptoribus editis, atque illustratis, non Christum modo, sed & Apostolos, aliosque Sanctitate illustres Viros hujusmodi Volumen, vel utrinque complicatum inserto indice, vel omnino involutum, vel etiam partim explicatum gestantes animadverterit: quod omissis interpretationibus a Durando, & Ar-

(a) *Joann.* XIX. 23.
(b) *Dissert. de Infer. Æv. Numism.* §. 12.

& Arringhio excogitatis, nihil aliud ſignificare cum laudato Ciampino credimus, quam Novæ Legis inſtitutionem Chriſto Domino referendam, ejuſque per Apoſtolos, alioſque Sanctos Viros promulgationem.


23. Ceterum ut de picturarum etiam qualitate aliquid adnotemus, eæ nec elegantes admodum, nec plane impolitæ ſunt, ſed certe aliquanto rudes, &, ut vulgo ajunt, duriuſculæ, ſuique temporis vetuſtatem redolentes. Eas autem nobis cum Menologii juſſu Baſilii Porphyrogeniti, Sæculo x. exeunte (*a*) deſcripti, iconibus ab Annibale Cardinali Albano evulgatis, necnon cum aliis Tabularum illarum Sæculi XIII, quæ Capponianæ vocantur, quaſque Clariſſimus Joſeph Simonius Aſſemanus illuſtravit (*b*), conferentibus, viſas eſſe fatebimur & primis minus rudes, & ſecundis minus elegantes. In iſtis enim, ut laudatus Auctor obſervat (*d*), *non eſt quod reprehendas, adeo ſunt omnia ad accuratam Picturæ normam redacta:* quod certe picturis noſtris convenire nequit, quæ magis ad imaginum, quæ in Baſiliano Menologio habentur, inconcinnitatem, quam ad Capponianarum Tabularum venuſtatem accedunt; ſive ægre compoſita partium diſpoſitio, ſive figurarum minus proportioni reſpondens forma, imique ſuſpenſi pedes, ſive invenuſti veſtium flexus, ac plicaturæ, quæ limbo ſunt undequaque circumdatæ, ſpectentur. Quare Tabulam hanc noſtram vel undecimo labente, vel duodecimo ad ſummum ineunte Sæculo pictam credimus, quo nondum apud Græcos inferioris ævi pingendi artem ad elegantiam perductam fuiſſe compertum eſt: quod tamen judicium aliis in hac arte peritioribus libentiſſime ſubjicimus.

CA-

(a) *V. Allat. Diſſert. de Libr. Eccl. Græcor.*
(b) *Kalendaria Eccl. Univ. Tom. I.*
(c) *Ibid. pag.* 4.

CAPUT QUARTUM.

De Cruce argentea deaurata in interiori Tabula nostra sita.

1. 
Nterioris Tabulæ nostræ descriptionem ab argentea illa Cruce deaurata exordiemur in media ipsa Tabula sita, quæ, ut diximus, cum in anteriori, tum in posteriori facie exquisiti operis filatim elaborati exhibetur. Ejus ea formæ est, quæ *Triplex* vocatur, seu cujus stipes tribus transversis lineis secatur. Triplicis hujusmodi Crucis in Ecclesia & Occidentali, & Orientali usum probant nonnulla Veterum Christianorum Monumenta apud Boldettum (*a*), & perantiquæ Grecanicæ Tabulæ depictæ, quas e Gazophylacio RR. PP. Canonicorum S. Genovefæ Parisiensis delineatas edidit Ducangius (*b*). Plura in hanc rem congessit laudatus Costadonus (*c*), qui etiam de *Duplici*, seu *Gemina* Cruce agit, quæ *Patriarchalis* & *Hierosolymitana* vulgo dicitur, cujus usus frequens apud Græcos, ut ex numismatibus Byzantinis colligitur a Ducangio editis (*d*); quique propterea de hac re nobis otium fecit.

Ceterum Cruces illæ triplices, quæ in citatis Monumentis visuntur, diversæ a nostra sunt. In illis enim ex triplici transverso ligno supremum brevius est secundo, & secun-

G dum

(a) *Osservaz. sopra i Cimiterj ec. pag.* 262. 271.

(b) *Dissert. de Infer. Æv. Numism. pag.* 43. & *Constantinop. Christ. pag* 138. *Edit. Paris.*

(c) *Observat. cit. cap.* x.

(d) *Famil. Byzant. pag.* 123. & *seqq.*

dum tertio ; respondetque Cruci , quæ Romano Pontifici hodie præfertur, cujus ritus origo non satis constat: nisi si, quod suspicor , ea consuetudo id temporis fuit inducta , cum Mitræ Pontificiæ , quam Triregnum vulgo vocant , secunda Corona a Bonifacio VIII. ; ac tertia ab Urbano V. Spondano teste; vel illa a Joanne XXII. , hæc ab Urbano V. si credimus aliis, simili modo, ac ratione superadditæ fuerunt; vel cum a Paulo II. ejusmodi mos, qui jamdiu obsoleverat, fuit revocatus. Utcumque tamen sit, Crux nostra , licet tribus transversis lineis secetur , earum media tamen duabus extremis est triplo circiter longior ; inferior vero aliquantulum brevior superiore . Nobis in hac triplicis Crucis nostræ forma , si conjecturæ locus est , videtur artifex Crucem repræsentare voluisse cum unico transverso ligno ; in brevi autem linea transversa superiore tabellam cui Titulus inscribi solet, & in inferiore breviori suppedaneum .

2. Verum ad alia in Cruce nostra notatu digniora accedamus. Eam nonnullæ Græcæ Epigraphes ornant , singulasque stipitis, & transversarum linearum extremitates cum in anteriori , tum in posteriori facie claudunt orbiculi quidam aurei , in quorum area , encausto viridis coloris depicta , Græca aliqua pariter aurea Sigla, seu littera singularis sculpta eminet . Jam ab ipso inventionis S. Crucis tempore , cum figuris , tum litteris ejus imagines , quas ideo litteratas vocant , condecorari consuevisse pluribus exemplis probat laudatus Gorius (*a*) : orbiculis autem ornatas Cruces

(a) *Comment. cit. pag.* 164. *&* *seqq.*

ces quamplurimas apud Ciampinum (*a*) videre licet ; imo in Sacris etiam Veſtibus Cruces cum orbiculis memorantur apud Anaſtaſium Bibliothecarium (*b*) ; adeoque non eſt cur de hoc argumento lectores detineamus, ſed quæ in Cruce noſtra ſingularia ſunt pro modulo noſtro exponamus.

3. In antica igitur ejus parte minor alia Crux viſitur, majori iſti commiſſa, eique Jeſu Chriſti Imago ſuffixa ex argento deurato fuſa, cujus caput, ſpinea corona carens, circumſtat nimbus quinque gemmis ornatus, cyano nempe uno, duobus carbunculis, totidemque unionibus. Hæc quoque Chriſti Imago quatuor eſt clavis adfixa, tabulamque habet ſuppedaneam : de quibus, quia ſuperiori capite egimus, duo hic tantum ſuperſunt obſervanda.

Primum parvæ hujus Crucis epigraphen ſpectat ; ſecundum ſymbola, quæ baſim ejus exornant. Cruci huic itaque tabella in vertice adpoſita, cui Titulus ſolet inſculpi ; ſed loco Tituli legitur **ΜΝΣΘ**, & in tranſverſa linea hinc, illincque ad caput Servatoris **ΜΥΚΕ ΟΤΑΕΤΝ** : quæ contractæ voces ita ſuppleri debent *μνήσθητί μȣ κύριε ὅταν ἔλθῃς* ; hoc eſt : *memento mei*, *Domine*, *dum veneris* ; quibus adde ex Lucæ Evangelio (*c*) *ἐν τῇ βασιλείᾳ σȣ in Regnum tuum*. Singularis hæc inſcriptio neque a me, quamplurimis antiquis Monumentis dedita opera conquiſitis, & inſpectis, neque a multis eruditiſſimis viris, quos conſului, in ulla veteri Cruce obſervata eſt. Monebimus igitur tan-

G 2 tum

(a) *Veter. Monim. Par. II.*
(b) *In Leone IV.*
(c) *Cap.* XXIII. *v.* 42.

tum Inſcriptionis hujuſce characteres antiquiorem ceteris in majori Cruce ſculptis ætatem præ ſe ferre, ut ſpecimina characterum, omnis ævi docent a Cl. Montfauconio in Græca Palæographia exhibita: quod etiam dicendum de ipſa Chriſti Imagine, rudioris utique formæ, quam ut eodem ſæculo fuſa credi poſſit, quo major Crux faberrime elaborata fuit, quoque Artes apud Græcos ad majorem elegantiam, & concinnitatem perductæ fuerant.

4. Quod vero ad minoris hujus Crucis baſim pertinet, ea inſtar parvuli cujuſdam collis efformata conſpicitur, quo repræſentatur Calvariæ mons, ubi Cruci fuit Chriſtus adfixus. Duobus ornatur ſymbolis hæc baſis; Cranio nempe humano, & Liliis. Judæam liliis maxime affluxiſſe patet ex Matthæo (*a*); Chriſtum autem in Scripturis ſub lilii figura exhiberi conſtat præcipue ex illo Canticorum (*b*): *Ego flos campi, & lilium convallium*. De cranio vero quod ad Crucis baſim artifices fingere ſolent, non una eſt Scriptorum ſententia. Plures tamen putant hanc conſuetudinem, quæ nunc quoque viget, ex pia illa traditione apud Chriſtianos obtinuiſſe, qua perhibent Adami calvariam in eo monte ſepultam a Semo Noe filio; quaſi ſpiritu prænoverit in eo Chriſtum moriturum, ut ſuo ipſius ſanguine vitæ, & reſurrectionis gratiam primo parenti communicaret. Hinc Calvariæ nomen monti inditum credunt nonnulli (*c*); quem tamen ideo alii putant ita vocatum,

quia

(a) *Cap. VI. v. 28.*

(b) *Cap. II. v. 1.*

(c) *Hieronym. in Epiſt. ad Epheſ. V. 14. & Epiſt. 46. al. 17. Tertull. Origen. Epiphan. Chryſoſt. ap. Gretſer. Lib. I. de Cruce cap. 8. Baron. ad Ann. 34. num. 112.*

quia humanæ calvariæ ſpeciem referebat, alii vero, quod locus eſſet capite damnatis puniendis deſtinatus: unde Voſſius (*a*) ait: *Capitis igitur locus idem fuerit ac decapitationis locus, quia facinoroſis illic ſoleant capita detruncari*. De hac re conferri merentur etiam Auctores Anglici Hiſtoriæ Univerſalis (*b*).

5. Sed ad majoris Crucis prædictæ filatim elaboratæ explicationem regrediamur. In ejus ſtipite ſupra minorem Crucem Græca hujuſmodi Inſcriptio legenda nobis offertur, quam, archetypa characterum forma ſervata, oculis ſubjicimus.

ΗϹΤΑΥΡΩϹΙ	ideſt	*Crucifixio*
ΙϹ ΧϹ		*Jeſus Chriſtus*
ΟΒΑϹΙΛΕVϹ		*Rex*
ΤΗϹΔΟΞΗϹ		*Gloriæ*

Poſtrema quatuor verba Græcis pariter characteribus inſcripta leguntur in aureo operculo celebris illius phialæ in Cimeliarchio Ducalis Baſilicæ D. Marci adſervatæ, quæ ſinu ſuo aliquot guttas pretioſiſſimi Sanguinis in humanæ reparationis pretium effuſi complectitur, ut videre eſt apud Cl. Senatorem ſæpius laudatum Flaminium Cornelium (*c*). Prima vox ἡ ϛαύρωσις, in Inſcriptione hac noſtra, extrema littera Σ caret; quod vel artificis imperitiæ, vel probabilius anguſtiæ loci tribuendum cenſemus: de duobus compendiis ΙϹ ΧϹ nonnulla infra adnotabimus: reliqua ſatis clara, & obvia.

6. Tota in eo verſatur difficultas, ut ſiglæ illæ, ſive ſin-

(a) *Harmon. Evang. Lib. II. cap.* VI. §. 16.
(b) *Tom. I. Chap.* I. *Sect.* IV.
(c) *Dec. XIII. Par. I. pag.* 151.

ſingulariæ litteræ, ſingulis Crucis noſtræ extremitatibus inſculptæ, explicentur. Eruditorum neminem fugit, antiquorum monumentorum exploratoribus nihil magis negotii faceſſere, quam ejuſmodi compendia, quæ vel priori tantum dictionis littera, vel dictionis parte conſtant, quibus veteres non verba ſolum, ſed integram etiam ſententiam aliquando ſignificabant; eorumque obſcuritatem in cauſa eſſe, cur plures interpretes in diverſa abeant, & mirifice inter ſe diſſideant: imo ſæpiſſime de multarum inſcriptionum characteribus, ac genuino earum ſenſu, a veritate prorſus alienum judicium ferant.

Hæc me ſingularium Crucis noſtræ litterarum explanationem aggreſſurum impulerant, ut quid per eas artifex indicare voluerit, explicare minime auderem, ſed peritioribus hanc Spartam relinquerem. Verum enim vero minus æquum eſſe ratus nihil omnino de illis diſſerere, atque etiam ſubveritus, ne difficultatis plenam hanc aleam effugere viderer; ideo mutato conſilio ad eruditiſſimos viros, & Græcarum rerum peritiſſimos Joſephum Simonium, & Evodium Aſſemanos, illum Vaticanæ Bibliothecæ Præfectum, hunc Apameæ Archiepiſcopum; Joannem Chryſoſtomum Trombelli Abbatem S. Servatoris Bononiæ; P. Michaelem Angelum Carmeli in Gymnaſio Patavino Pub. tunc Orientalium Linguarum Profeſſorem, a nobis jam laudatum, alioſque editis Operibus de univerſo Orbe Litterario meritiſſimos, confugiendum eſſe duxi, ex quorum doctiſſimis animadverſionibus aliquid luminis acciperem.

Atque illi quidem ſumma humanitate votis meis (quæ partim, me rogante, Cl. Comes Joſeph de Renaldis, Baſilicæ S. Mariæ Majoris Romæ Canonicus; partim doctiſſimus,

eru-

eruditiſſimuſque ejus frater Comes Hieronymus in Patavino Licæo P. Matheſeos Profeſſor , nuper pari , plenoque Excellentiſſimi Veneti Collegii conſenſu Utinenſis Canonicus renunciatus ; qnibus pro ſingulari eorum in me benignitate plurimum debeo; partim Orientalium Linguarum peritiſſimus Abbas Januarius Siſti, quo præceptore Græcos, Hebræoſque attigi fontes ; partim denique egomet ipſe expoſui) quam citiſſime annuerunt. Primi enim duo Clariſſimi Viri, præter ea, quæ in Cruce noſtra ipſimet obſervarunt, neminem poſſe melius de hac re ſententiam ferre judicantes , quam doctiſſimum Joſephum Schirò Dyrrichii Archiepiſcopum , meas illi preces admoverunt; tertius celeberrimo viro Joanni Baptiſtæ Bianconi in Bononienſi Univerſitate Græcarum Litterarum PP. hanc provinciam dedit; quartus denique propriam interpretationem adjunxit.

7. Quamobrem ea quæ Eruditiſſimi Viri, datis tum ad eos, tum ad me humaniſſimis litteris , tradiderunt , fideliter exponam : quod ut clarius innoteſcat , ſingularias primum litteras , eo quo diſponendas eſſe ordine cenſet Archiepiſcopus Schirò , exhibeo, integras inde quas continere putat Græcas dictiones, & Latinam earum interpretationem expoſiturus.

$\overline{\text{T}}$ $\overline{\text{K}}$ $\overline{\Pi}$ $\overline{\Gamma}$ $\overline{\text{T}}$ $\overline{\text{T}}$ $\overline{\text{A}}$ $\overline{\Phi}$

Hæc eſt Siglarum ſeries , quæ in anteriore Crucis facie exhibetur ; quas ſic explicandas eſſe judicat laudatus Archiepiſcopus:

Τόπος Κρανίȣ Παράδεισος Γέγονε Τῶν δαιμόνων Τραῦμα Α᾽ντρώπων Φυλακτήριον.

Ideſt: *Locus Calvariæ Paradiſus Factus eſt* (intellige per Crucem, quæ eſt) *Dæmonum Plaga*, *Hominum Cuſtodia*.

Hujus

Hujus autem interpretationis hæc Doctiſſimus vir, iteratis ſumma benignitate epiſtolis, monuit in Græcis Liturgicis Codicibus inveniri fundamenta. Nam in Græcorum Eccleſiaſtico Libro, cui titulus Παρακλητικὴ, hæc legitur ad Chriſtum Dominum Oratio (*a*): Τόπος Κρανίου Παράδεισος γέγονε· μόνον γὰρ ἐπάγη τὸ ξύλον τοῦ σταυροῦ, εὐθὺς ἐβλάστησε τὸν βότρυν τῆς ζωῆς σὲ, Σωτὴρ, εἰς ἡμέτερων εὐφροσύνην, δόξα σοι: quæ latine ſic redditur: *Locus Calvariæ Paradiſus factus eſt: ut enim adfixum eſt lignum Crucis, ſtatim germinavit racemum Vitæ te, Servator, in noſtrum gaudium, gloria tibi*. In alio vero Libro qui Ὡρολόγιον μέγα inſcribitur hæc habentur ſalutiferæ Crucis elogia (*b*): Σταυρὸς ὁ φύλαξ πάσης τῆς οἰκουμένης, Σταυρὸς ἡ ὡραιότης τῆς Ἐκκλησίας, Σταυρὸς Βασιλέων τὸ κραταίωμα, Σταυρὸς πιστῶν τὸ στήριγμα, Σταυρὸς Ἀγγέλων ἡ δόξα, καὶ τῶν δαιμόνων τραῦμα: videlicet: *Crux cuſtos totius habitabilis (terræ), Crux pulchritudo Eccleſiæ, Crux Regum robur, Crux Fidelium ſtabilimen, Crux Angelorum gloria, Dæmonumque plaga*.

8. Alia via incedit Clariſſimus Joannes Baptiſta Bianconi, a quo ita diſpoſitæ Siglæ:

$\overline{T}$ $\overline{\Pi}$ $\overline{\Gamma}$ $\overline{T}$ $\overline{T}$ $\overline{A}$ $\overline{\Phi}$ $\overline{K}$

Litteram igitur T, quæ eſt in ſuperiori ſtipitis extremitate ibi putat inſculptam quaſi antiquum Crucis Symbolum, longe ante præfinitum Redemptionis tempus hominibus a Deo per Ezechielem (*c*) propoſitum his verbis: *Tranſi per mediam Civitatem in medio Hieruſalem, & ſigna Tau ſuper fron-*

(a) *Pag.* 219. *Col.* 1. *Edit. Ven.* 1755.
(b) *Pag.* 104. *Edit. Ven.* 1763.
(c) *Cap.* X. *v.* 4.

frontes virorum gementium , & dolentium super cunctis abominationibus quæ fiunt in medio ejus ; de quibus egregie disseruit inter alios Huetius (*a*):

Quatuor autem illas Π Γ Τ Τ exponit ceu initiales quatuor a Christo verborum in Cruce prolatorum, nempe:

Πάτερ ἄφες αὐτοῖς· οὐ γὰρ οἴδασι τί ποιοῦσι

Pater ignosce illis: non enim sciunt quid faciunt (*b*)

Γύναι, ἰδοὺ ὁ Υἱός σου.

Mulier, ecce filius tuus (*c*).

Τήμερον (*d*) μετ' ἐμοῦ ἔσῃ ἐν τῷ Παραδείσῳ.

Hodie mecum eris in Paradiso (*e*).

Τετέλεσται.

Consummatum est (*f*)

Reliquas tandem tres litteras Α Φ Κ sic interpretatur. Ἁμαρτωλῶν Φείδου Κύριε, hoc est: *Peccatoribus Parce Domine*.

9. Singularias hasce octo litteras eodem disponit ordine Doctissimus Professor Carmeli, quo jam a Cl. Dyrrichii Archiepiscopo dispositas fuisse diximus; longe tamen diversam earum tradit interpretationem, quam se quasi divinando exposuisse fatetur. Cum laudato igitur Joanne Baptista Bianconi non modo prima littera Τ, sed reliquis etiam duabus ejusmodi siglis Crucis Symbolum indicari putat; monitusque a me Tabulam hanc nostram a quadam Irene e Palæologorum Fami-

(a) *Demonstr. Evang. Prop.* X. *Cap.* 127. *num.* 4.
(b) *Luc.* XXIII. 34.
(c) *Joann.* XIX. 26.
(d) Σήμερον, *quidem habent exemplaria omnia, verum Attice* Τήμερον *etiam dicitur*.
(e) *Luc.* XXIII. 43.
(f) *Joann.* XIX. 30.

lia argento ornatam fuiſſe, hac ratione octo dicta Compendia explicat.

Ταῦ Κυρίȣ Παλαιολογίνα Γέγραφε.

Τὸ Ταῦ Α῎παντες Φιλεῖτε

Tau (Figuram Crucis) *Domini Palæologina* (Irene)

Scripſit: Hoc Tau Omnes Amate.

10. Jam vero ad litterarum, quæ in poſticæ Crucis noſtræ faciei extremitatibus, orbiculis pariter incluſæ leguntur, interpretationem tranſeamus. Antea tamen operæ pretium erit obſervare, præter octo dictos orbiculos, duos alios ab artifice effictos fuiſſe in poſteriori hac Crucis parte, quam Tabula IV. repræſentat; quorum primus in Crucis quaſi centro, ubi major tranſverſa linea ſtipitem ſecat, alter vero inferius in eodem ſtipite adparet.

In ſingulis duobus orbiculis parvula Crux eminet aurea cum duplici tranſverſa linea, in cujus vertice hinc inde aureis pariter characteribus legitur IC XC. Apud omnes in comperto eſt duo hæc compendia reddenda eſſe Ἰησȣ̃ς Χριστὸς *Jeſus Chriſtus*. Hanc autem Nominis Chriſti contractionem perantiquam eſſe ex Clemente Alexandrino (*a*), & ex Epiſtola, quæ S. Barnabæ adſcribitur (*b*), notat Ducangius (*c*). Quæ tamen apud eos leguntur, ad Chriſti nomen per IH repræſentatum ſpectant: quæ Nominis *Jeſu* Græco Charactere exarati ſunt duæ priores litteræ. In numis autem, ac veteribus tabulis, ut plurimum per IC XC ſcriptum cernitur; adhibitis ſcilicet initialibus, & finalibus litteris hujus

(a) *Lib. VI. Strom.*

(b) *Cap.* VII.

(c) *Diſſert. de Infer. Æv. Numiſm. §. 28.*

jus Nominis *Jesus Christus* Græce pariter scripti. Hæc duo compendia præsertim Sæculo IX. frequentissime usurpari consuevisse scribit Clarissimus Eques Franciscus Victorius (*a*); eorum tamen usum antiquiorem esse probant vetustissima Monumenta apud Ciampinum (*b*). Ut ut sit, illud certum est, in antiquis Crucibus, præsertim Stationalibus, loco Tituli, ut in parvulis Crucibus nostris, legi hinc, atque illinc contractum hoc Jesu Christi nomen, cujus loco etiam in nonnullis leguntur duæ hæ litteræ A, & Ω, ex Alphabeto Græco desumptæ, prima nempe, & postrema, juxta illud Apocalypseos (*c*): *Ego sum Primus*, *&* *Novissimus*; & : *Ego sum Alpha*, *&* *Omega* (*d*): quibus duabus litteris Christum intelligunt Sedulius (*e*), & Prudentius (*f*); ejusque Divinitatem, & Humanitatem designari probat Allatius (*g*).

11. Duæ hæ parvulæ Cruces in extrema, imaque parte ita expressæ sunt, ut folia quædam, floresque repræsentare nonnullis videantur, quibus eas examinandas proposui. Antiquissima quidem consuetudo floribus ornandi Crucis basim adparet in aliquibus antiquis Crucibus apud Arringhium (*h*): & Federicus Cardinalis Borromæus testatur (*i*), haud ita pridem in India Orientali juxta S. Thomæ sepulcrum repertam fuisse Crucem, quæ in lilia, floresque desinebat:

H 2 quam

(a) *De Monogr. S. Nom. Jes. pag.* 10.
(b) *De Sacr. Ædif. cap.* IV.
(c) *Cap.* I. *v.* 17.
(d) *Cap.* XX. *v.* 13.
(e) *Lib. III.*
(f) *Hymn. IX.*
(g) *De Conf. Utr. Eccl. cap.* VI. *num.* 31.
(h) *Rom. Subterr. Tom. I. Tab.* 44.
(i) *De Pict. Sacr. Lib. II. cap.* 3.

quam quidem Crucem primis Eccleſiæ temporibus factam fuiſſe credibile eſſe putat; *cum myſterio haud dubie illo, quaſi ætatis illius Sancti homines ſignificare vellent, Chriſti Crucem ob Martyrum triumphos floridam, atque viridantem fuiſſe*. Flores tamen, quibus Cruces ornabant antiqui, ipſius Chriſti ſymbolum fuiſſe, qui ſe ipſum florem campi vocavit, & lilium convallium, credit Joannes Baptiſta Caſalius (*a*), qui de ſymbolicis apud veteres Chriſtianos Crucis ornamentis eruditiſſime agit.

Mihi tamen noſtrarum parvularum Crucium ima pars potius ancoram exhibere videtur, cujus brachia non jaculi cuſpidem, ut aſſolet, referunt, ſed iterum recurvata, quædam quaſi folia ornamenti gratia repræſentant. Porro inter ſymbola, quibus Chriſtianos antiquitus uti licebat, ancoram enumerat Clemens Alexandrinus (*b*), eamque non in annulis tantum, & in pluribus Martyrum, aliorumque Fidelium ſepulcralibus titulis ſculptam, ſed Cruces etiam in ima parte exornantem videre eſt penes laudatum Boldettum (*c*). Conſtantiam enim Martyrum, ceterorumque Fidelium firmitatem in Fide referebat, & Spem pariter Chriſtianorum omnium in Cruce Chriſti, in quo eſt ſalus, vita, & redemptio noſtra.

12. His adnotatis reliquas litteras orbiculis incluſas, quæ in poſtica Crucis facie ſculptæ ſunt, exponamus. Eæ autem hujuſmodi ſunt.

IC

(a) *De Veterib. Sacr. Chriſtianor. Ritibus pag.* 8.
(b) *Pædag. Lib. III.*
(c) *Oſſervaz. cit. pagg.* 339. 340. 365. 371. 504.

IC XC NI KA Φ X Φ II

De duobus primis compendiis IC XC ſatis jam dictum eſt: ſequentes vero quatuor litteras, licet duæ primæ a duabus poſtremis ſejunctæ ſint, adpoſitumque ſingulis binis litteris ſignum abbreviationis, cum laudatis tamen, aliiſque doctiſſimis Viris conjungendas cenſeo, ita ut unum verbum efficiant νικᾶ, ideſt *Vincit*. In nonnullis etiam inferioris ævi numis, ut obſervat Ducangius (*a*), Crux medium numum occupat, cum hiſce quatuor characteribus IC XC NI KA: quæ Inſcriptio a Conſtantini Magni temporibus admodum familiaris Græcis fuit, in ejus Crucis memoriam, quam ille, ut alibi adnotabimus, contra Maxentium præliaturus, cum hoc lemmate τῦτο νίκα, ideſt *hoc vince* in cœlo conſpexit (*b*).

Hinc etiam apud Occidentales illius precis, ſeu laudis divinæ uſus: *Chriſtus vincit*, *Chriſtus regnat*, *Chriſtus imperat*: quam Inſcriptionem Galliarum Reges in ſcutis, uti vocant, aureis exarari juſſerunt. His enim verbis, ut notat ex Radulpho de Diceto laudatus Ducangius, conceptas fuiſſe laudes conſtat Carolo Magno dictas Romæ, cum Imperator coronatus eſt a Leone Pontifice: *Chriſtus vincit*, *Chriſtus regnat*, *Chriſtus imperat*, *Karolo Auguſto a Deo coronato*, *Magno*, *&* *pacifico Imperatori Romano vita*, *&* *victoria*. Antiquiorem autem fuiſſe in Occidentali Eccleſia hujus Inſcriptionis uſum *Chriſtus vincit*, colligi poſſe videtur ex antiqua fictili lucerna penes Boldettum (*c*) in qua duæ hæ litteræ obſer-

(a) *Diſſert. cit.* §. 25.
(b) *Euſeb. de Vit. Conſtantini Lib. I. cap.* 28.
(c) *Oſſerv. cit. pag.* 63.

obfervantur C, & V, quas Cl. Gorius (*a*) explicat *Chriftus Vincit*, licet iis *Chriftus Jefus* indicari judicent citatus Boldettus, & egregius Eques Francifcus Victorius (*b*).

13. Ad reliquas fingularias litteras Φ̄ X̄ Φ̄ Π̄ quod attinet, laudatus Archiepifcopus Dyrrichii eas de ipfa Cruce explicans fic interpretatur: Φυλακτήριον Χριστιανῶν; Φυλακτήριον Πάσης τῆς οἰκυμένης; fcilicet, *Cuftodia Chriftianorum*; *Cuftodia totius habitabilis* (*Terræ*). Fatetur ille quidem poftremam figlam Π reddi poffe Πιςῶν, feu *Fidelium*; fibi tamen primam interpretationem magis arridere, utpote formulæ illi magis conformem, quæ in fuperius allegatis Crucis elogiis ex Græcorum Horologio leguntur: Σταυρὸς φύλαξ πάσης τῆς οἰκυμένης. Clariffimus porro Apameæ Archiepifcopus Affemanus duas poftremas litteras Φ̄, & Π̄ verofimilius ita interpretandas effe judicat: Φῶς Πᾶσι, ideft *Lux omnibus*; quæ duo verba apud Græcos ufitatiffima effe affirmat: ejus vero avunculus Jofeph Simonius litteras Φ̄, & Π̄ in pæne omnibus Græcis Diptychis, vetuftifque Crucibus Ruthenicis iteratas reperiri teftatur; qui illud etiam adjungit, pro duabus prædictis litteris in nonnullis Crucibus antiquis, alias, feu Ῡ ΘῩ, fcilicet *Filius Dei* fcriptas inveniri.

13. Quamdam autem in quatuor figlis jam dictis contineri precem putat Joannes Baptifta Bianconi, qui a me per litteras admonitus, a laudata Irene Palæologina argento exornandæ Tabulæ noftræ curam fuiffe fufceptam, ut

ex

(a) *Comment. cit. pag.* 127.
(b) *Loc. cit.*

ex inscriptione, quam infra dabimus, patebit, hac eas posse ratione explicari conjicit:

Φύλαξε Χρίστε Φιτὸν Παλαιολόγων

Custodi Christe Stirpem Palaeologorum.

15. Ab aliorum porro sententia non discedit a nobis memoratus, & nunquam satis laudatus P. Carmeli in litterarum IC NI KA *Jesus vincit* explicatione; reliquas vero quatuor Siglas Φ X Φ Π & Compendium XC sic interpretatur: Φιλῶ Χριστὸν· Φιλείτω Παλαιολογίναν Χριστός. *Amo Christum: Amet Palaeologinam* (Irenem) *Christus*.

16. Dictorum Clarissimorum Virorum explanationibus quartam addam Religiosi alterius Viri mihi amicitia conjunctissimi, Graecaeque Linguae peritissimi, cujus nomen, ut ejus modestiae faciam satis, silentio invitus cogor involvere. Signa illa abbreviationis, quae supra litteras NI, & KA sculpta sunt, argumento esse posse credit ille, non unum tantum verbum νικᾷ exhibere iis voluisse artificem, sed duorum potius verborum compendia. Notam igitur NI ceu initialem verbi νικάω, ejusque derivatorum ab Eduardo Corsino (*a*), & a Ducangio (*b*) exponi observat: notam autem KA pro initiali nominis Καῖσαρ tum ab eodem Corsino (*c*), tum a Sponio (*d*) in vetusto lapide explicari. Hinc ad Augustorum Palaeologorum familiam hanc spectasse Crucem advertens, sic duo dicta compendia, reliquasque quatuor singulares litteras exponit: Ἰησοῦς Χριστὸς Νίκη Καίσαρος, Φῶς Χριστιανῶν, Φῶς Παλαιολόγων: *Jesus Christus Victoria*

(a) *Notae Graecor. pag.* 20. *V.* ΕΛΕΥ.
(b) *Glossar. Med. & Inf. Graecitat. V.* ΝΙΚΟΣ.
(c) *Ibid. pag.* 33.
(d) *Miscell. Sect. X. num.* 132.

ria Cæſaris , *Lux Chriſtianorum* , *Auxilium Palæologorum* ; verbum enim φῶς ne dum pro *lumine* , ſed etiam pro *auxilio* , & *ſalute* notat Suidas ab Homero, & ab aliis uſurpari.

17. Hæc non ex meo penu , ſed ex aliorum eruditione, & doctrina deprompta lectoribus exhibeo . Ceterum & a laudato Cl. Joſepho Simonio Aſſemano certior redditus ſum, ſingularia omnino eſſe præſertim anticæ Crucis noſtræ faciei monogrammata, nullumque his ſimile exemplum reperiri in iis omnibus Crucibus,quotquot in ſacro Vaticano Muſæo adſervantur ; & ab ejus nepote doctiſſimo Apameæ Archiepiſcopo plures alii Græcæ Nationis peritiſſimi Viri de hac re conſulti teſtati ſunt, id moris apud Orientales viguiſſe , & etiamnum vigere , ut pro arbitrio vel artificum , vel poſſeſſorum ejuſmodi ſiglæ Crucibus inſculpantur , vel pingantur ; adeoque de genuino earum ſenſu, niſi divinando , judicium haud poſſe pronuntiari . Hinc mirum nemini videri debet, ſi tot Clariſſimi Viri a nobis conſulti , & adhuc merito laudati in harum explicatione ſiglarum in tot diverſas abiere ſententias.

Duæ aliæ Græcæ Epigraphes, quæ in margine, ſeu peripheria Crucis noſtræ ſculptæ leguntur nobis explicandæ ſuperſunt. Cum tamen de illis infra mentio recurret, aptior ibi erit earum interpretationi locus, ubi de Tabulæ noſtræ poſſeſſoribus Capite VIII. agemus.

CAPUT QUINTUM.

De Imaginibus Constantini Magni, & S. Helenæ.

1. IMperatori Cæsari Marco Aurelio Valerio Flavio Constantino, cui ob rerum præclarissime gestarum splendorem, & multitudinem, Magni cognomentum recte meritoque tributum fuit, & Flaviæ Juliæ Helenæ ejus Matri felicem Sanctissimæ Crucis, in qua Salus nostra pependit, inventionem deberi, tot talibusque testimoniis (*a*) comprobatur, ut Hospiniani, Riveti, Dallæi, Basnagii, aliorumque Heterodoxorum impudentiam, rei extra omnem dubitationem positæ fidem negantium, satis mirari sanæ mentis homines nequeant. Cum autem ipse Constantinus (ut Cedrenus, & Suidas (*b*), itemque Anonymus Antiquitatum Constantinopolitanarum Auctor (*c*) a Cl. Bandurio editus, aliique Byzantini Scriptores referunt) Constantinopoli in Foro Constantiniano in fornice Milliarii, & alibi, in hujus rei perenne monumentum, Cruces erexisset, easque medias inter S. Helenæ, & suas ipsius statuas adcommodari jussisset, hinc apud Græcos consuetudo invaluit, ut dictorum Augustorum Icones ad Crucis latera vel pictæ, vel sculptæ ponerentur.

 2. Ta-

(a) *Ambros. Orat. de Obitu Theodosii. Chrysostomus Homil. 85. al. 84. in cap. 19. Joannis. Ruffin. Hist. Eccl. Lib. I. cap. 7. & 8. Theodoret. Histor. Lib. I. cap. 17. Socrat. Lib. I. cap. 17. Sozomen. Lib. II. cap. 1. &c.*
(b) *Ap. Petr. Gyll. de Topograph. Constantinop. Lib. II. cap. 23.*
(c) *Par. I. Lib. I. pag. 10. num. 27.*

2. Tabulæ igitur noſtræ artifex antiquiſſimum ſecutus morem, quem præcipue obſervare licet in pæne omnibus iis Tabulis noſtræ ſimilibus a laudatis, aliiſque Scriptoribus illuſtratis, Magni Conſtantini, ac S. Matris ejus Helenæ Imagines, eam quidem ad Crucis noſtræ latus dexterum, hanc vero ad lævum collocavit: quod item ex Græcorum fecit conſuetudine, qui, ut notat laudatus Coſtadonus (*a*), lævam dextera præſtantiorem judicant. Et quidem, ait celeberrimus P. Paulus M. Paciaudi (*b*), quæſtio perdifficilis eſt, & implicatiſſima, quæ Virorum Litteratorum ingenia diutiſſime torſit, quinam apud veteres, dexter ne, an ſiniſter locus præſtantior, nobiliorque cenſeretur. Quamvis autem ne in dubium quidem ille revocet, dexteram fuiſſe antiquis honoratiorem; quinam tamen proprie, vereque dexter haberetur locus, tam ambigue obſervat a Scriptoribus traditum, tamque inconſtanter ab artificibus expreſſum, ut vix aliquid certum, ratum, atque firmum poni, decernique poſſit. Itaque quod ad Græcos ſpectat, apud ejus quidem populares minus ſplendida, minuſque illuſtris dextera pars putatur; Scriptorum tamen inconſtantia, & picturarum varietas efficit, ut fruſtra quæratur a veteribus monumentis hujus quæſtionis ſolutio.

3. Age vero ad ea, quæ in Imaginibus noſtris obſervatione digna ſunt, dicendo revertamur. Eæ in vitro bracteis aureis in averſa parte obducto, graphio diſcriminante delineatæ, & partim rubido, partim ſubviridi colore huc illuc, impolite tamen, & pingui, ut ajunt, Minerva de-

ctæ

(a) *Obſervat. cit. cap.* 10.
(b) *Antiquit. Chriſt. Diſſert. VI. cap.* 8.

pictæ visuntur. Hoc vetustissimo picturarum genere primis Ecclesiæ Sæculis vitrea illa pocula ornabant Christifideles, quibus ad Agapes tum Martyrum, cum mortuorum celebrandas, imo etiam ad Sacra mysteria peragenda utebantur: quorum poculorum fragmenta summa eruditione illustravit in alias laudatis Observationibus Cl. Philippus Bonarrotius.

Primo itaque in his imaginibus se se offerunt lemmata, quæ in earum vertice conspiciuntur, nempe O A^Γ ΚΩΝCTANTINOC; H ꟼ EΛENH; idest *Sanctus Constantinus*; *Sancta Helena*. Notam, sive Compendium A^Γ, vel AΓ *pro* A῞γιος, seu *Sanctus*, & pro A῞για, scilicet *Sancta* usurpatam fuisse probant perantiquæ Tabulæ Græcæ permultæ, inter quas nonnullæ a Clarissimis Viris Ducangio (*a*), & Montfauconio (*b*) exhibitæ; necnon veteres Inscriptiones a Muratorio (*c*) & Scipione Maffejo (*d*) evulgatæ. Neque scrupulum injiciat compendium nomini Helenæ præmissum: constat enim ex Alpha, & Gamma, sed inversis pictoris culpa, a quo in postica vitri facie inversæ pingi debuerant eæ litteræ, ut rectæ in anteriori legentibus, & conspicientibus adparerent.

4. Quod vero ad titulum *Sancti* attinet, qui Constantino in Inscriptione hac nostra tribuitur, non eo sensu accipiendus hic est, quo primis Ecclesiæ Sæculis *Sancti* vocabantur

I 2 Fide-

(a) *Constantinop. Christ. pag.* 120. 127.
(b) *Palæograph. Græc. pag.* 22.
(c) *Nov. Inscript. Thesaur. pag.* 1895. *num.* 2.
(d) *Mus. Veron. Marm. III.*

Fideles (*a*), ſequentibus vero Epiſcopi, & Imperatores Conſtantinopolitani (*b*); ſed ut eam ſignificans Sanctitatis notam, qua Eccleſia Dei viros, feminaſque juſtitia, pietate, ceteriſque virtutibus inſignes decoravit. Divam enim Helenam Auguſtam non modo a Græca, ſed a Romana etiam Eccleſia ut Sanctam coli ſemper conſueviſſe nemini eſt ignotum. Magno vero Conſtantino, licet ſua illi vitia non defuerint, Græci, ut patet ex eorum Menologiis ad diem 21. Maji, qua conceſſit e vita, eumdem cultum tribuerunt; quem tamen Romana Eccleſia nunquam adprobavit: quemadmodum neque titulum, neque cultum Sancti Carolo Magno Imperatori tributum recepit, licet ipſe die 28. Januarii a pluribus Germaniæ Eccleſiis adhuc honore hujuſmodi colatur. Sed de hoc argumento plura congeſſerunt viri apprime docti, inter quos in citatis Obſervationibus legi meretur laudatus Coſtadonus; neque prætermittendus inſignis Muratorius, qui de hac re ad Annum 337. Conſtantino emortualem, magno, ut aſſolet, judicio diſſerit.

5. Veſtes, quibus indutas nobis repræſentat Pictor dictorum Auguſtorum Imagines, ejus ſunt generis, quæ *Auroclavatæ*, vel *Auroclavæ*, ut habet Vetus Juvenalis Interpres (*c*), vocabantur, gemmis, & margaritis ornatæ. Licet autem rudi adeo pennicillo, & graphio ſint delineatæ, ut non omnino perſpicue earum forma adpareat, exhibere tamen videntur antiquam *Trabeam*, ſeu latam illam faſciam

Con-

(a) *Bingham. Orig. Eccl. Lib. I. Cap.* 3. §. 4.
(b) *Gloſſar. Med. & Infim. Græcit.* V. Ἅγιος.
(c) *Ad Satyr. VI.*

Consulum propriam, quam ita describit Ducangius (*a*): *Consules tunicis palmatis, & togis pictis induti apparent, cui superfunditur fascia latior collum ambiens, cujus pars dextra strictior, a dextro humero recta circa pectus ultra genua descendit, ipsumque humerum, ac brachium dextrum circumvolvens, sinistrum humerum amplectitur, explicans sese, latiorque sensim effecta, ac circa dorsum delapsa, rursum a dextro latere per umbilicum transversum agitur, & infimam sinistri brachii partem, qua manui illud conjungitur, involvit, reliqua fasciæ parte retro pendula.* Fasciam istam, quam, ut observat idem Auctor (*b*), veterum esse *Latum Clavum* quidam censent, *Subarmalem* etiam antiqui vocarunt, posterior vero ætas *Lorum* appellavit. Hujusmodi autem, vel simili pæne habitu non Consules dumtaxat, sed Consulum etiam conjuges usas fuisse pluribus probat. Quo factum est, ut quemadmodum Imperatores, quando Consulatum perpetuum sibi ipsi firmarunt, idem insigne itidem perpetuum sibi fecerunt, ut animadvertit egregius Monachus sæpe laudatus (*c*); ita Imperatorum uxores eadem, aut propemodum simili veste usi fuerint: quod colligere licet non solum ex S. Helenæ Iconismo ab eo exhibito, & ex aliis etiam aliarum Augustarum ab eo laudatis, sed ex nostro etiam; quamvis, ut diximus, admodum inconcinne depicto. Illud præterea in descriptione harum vestium haud omittendum censeo, D. Helenam, licet interiori veste fere eadem, qua Constantinus, induta sit, exteriorem tamen habere dissimilem,

(a) *Dissert. cit.* §. *IV.*
(b) §. *V.*
(c) *Cap.* VI.

lem, quæ, instar pallii, extremitates habet utrisque brachiis superpositas. Tandem Constantinus crispis capillis conspicitur ornatus, Diva vero Helena posteriorem capitis partem habet velo obductam.

6. De Coronis item Augustorum, & Augustarum nonnulla hic differendi locus esset. Cum tamen hanc Spartam idem eruditissime ornaverit post Carolum Paschalium (*a*), & Wolfangum Lazium (*b*), nos ex iis aliqua, quæ paulo fusiori digna Commentario forent, in specimen delibabimus.

Corona igitur, qua Constantini caput ornatur in Icone nostra non *Diadema* est, seu fascia illa, qua Imperatorum capita quasi vinculo cincta passim conspiciuntur in numis: non illa, quæ *Calyptræ*, vel *Cassidis* speciem præseferens, totum caput ambiebat, quam ab ipso Constantino inventam censet Polæmeus Silvius apud Ducangium (*c*), & cujus ad Constantini posteros usus promanavit, ut ex numismatibus advertere licet: non denique *Camelaucium* illud quo redimitus cernitur Constantinus in alia Icone a laudato Costadono illustrata, quodque, ut idem observat (*d*), a Procopio *Justinianæum* vocatur, quia illo usus fuit Justinianus, cui, postquam detractum fuerat Totilæ Gothorum Regi, fuit a Narsete transmissum (*e*); sed ejus generis est Corona, quæ radiata dicitur, gemmis undique, & margaritis ornata.

Eruditos non fugit quanta in hujusmodi radiatis coronis varietas adnotetur in numis Imperatorum, quotque diversis

(a) *De Coronis*.
(b) *De Rep. Rom. Lib. IX. cap.* 18.
(c) *Dissert. cit. §.* 17.
(d) *Observat. cit. cap. V.*
(e) *Theophan. Chronograph. pag.* 193.

ſis ornamentorum generibus elaboratæ fuerint. Noſtræ Iconis Corona in media ſui parte habet verticem quemdam acuminatum, & magis accedere videtur ad illius formam, quæ Conſtantini VIII. Porphyrogeniti, Leonis VI. Filii in aureo numo, apud Octavium Strada (*a*), caput exornat. Nec valde abſimilis eſt S. Helenæ Corona, licet ab illa Imperatoris diverſa, ut moris erat; adeo tamen rudi forma expreſſa, ut quaſi turritam Coronam repræſentet, vel potius Pileum turbinatum.

7. Tum Helenæ, cum Conſtantini capitibus nimbus etiam circumſtat aureus, qui in plani circuli ſpeciem efformatus, diſcum exhibet. A nonnullis etiam halonis voce indicatur, nimirum ſimilitudine deſumpta a fulgida corona, ſeu circulo, quo Sol, ac planetæ ambiuntur. De hoc capitis ornamento, quo primitus antiqui, more forte ab Ægyptiis accepto, Deorum ſuorum Imagines decorabant, atque inde Imperatorum, & illuſtrium quoque virorum capita cinxerunt, perinde ac ſi eos, ſupra hominum ſortem poſitos, Deorum luce fulgere perſuaſum haberent, eruditiſſime agunt inter alios Viri Clariſſimi Philippus Bonarrotius (*b*), & Joannes Marangonius (*c*). Nos ea tantum quæ ad rem noſtram faciunt decerpentes, cum laudatis Auctoribus obſervabimus, apud Chriſtianos etiam morem hunc invaluiſſe, nimboque uſos fuiſſe ad Imagines tum Sanctorum, tum Principum, tum etiam aliorum virtutibus inſignium Virorum indiſcriminatim exornandas: quæ tamen conſuetudo

ſenſim

(a) *Geneal. Auſtr. pag.* 305.
(b) *Oſservaz. cit. pag.* 59. *&* *ſegg.*
(c) *Delle coſe Gentileſche ec. cap.* 35.

fenfim folis Jefu Chrifti, ejufque Matris Mariæ; Angelorum item, & Sanctorum omnium Imaginibus omnino ceffit, forte Sæculo IX. poft extinctam Iconomachorum Hærefim, cultumque Sacrarum Imaginum reftitutum. In noftris igitur Iconibus Conftantino, & Helenæ non ut Auguftis, fed ut Sanctis nimbus aptatur; non enim Helenam tantum, fed Conftantinum etiam Sanctorum albo a Græcis adfcriptos fuiffe paulo ante monuimus.

8 Stantes ad Crucis latera dictæ Imagines pinguntur; Helena quidem extenfis in modum orantis manibus, Conftantinus vero dextera ante pectus pofita, læva autem Crucem oblongam ferens. Porro in numis nufquam, aut raro confpicitur dictus piiffimus Imperator manu geftans Crucem. Teftatur tamen Eufebius (*a*), Conftantinum Urbem Romam ingreffum, Salutare Signum cunctis annuntiaffe, & ftatim fublimem haftam in modum Crucis conftructam fub manu ftatuæ fuæ in celeberrimo loco poni juffiffe: Anonymus vero Conftantinopolitanarum Antiquitatum Scriptor (*b*) refert, in partibus Tauro vicinis, ubi Conftantinus æftate fecurus agebat, in fuperiore parte fornicis ejus fuiffe ftatuam effictam, Crucis Signum manu dextera tenentem.

Ac licet, ut afferuimus, laudatus Imperator in numis Crucem manu gerens non inveniatur, numifma tamen, forte unicum, ipfius Conftantini publici juris factum, in quo Crux confpicitur, habemus apud Triftanum (*c*). In hujus

(a) *De Vit. Conftant. Lib. I. cap.* 40.
(b) *Lib. V. pag.* 99.
(c) *Comment. Hiftoriq. Tom. III. pag.* 550.

hujus autem numi posteriori facie, in qua legitur inscriptio VIRTVS EXERCIT. Labarum repræsentatur in Crucem superne desinens; quam tamen non esse Crucem contendit Patinus (*a*), sed tres veluti globulos, superiorem pali partem in cuspidis formam ornantes.

Utcumque tamen se res habeat, Constantini certe successorum alii globum in numis Cruce insignitum gestant, alii vero Crucem ipsam gestantes adparent. Cruciger quidem globus (quamvis ex Nicephoro (*b*) Gretserus (*c*) referat *Constantinum pomo, seu globo suæ statuæ superaddidisse Crucem*) primum conspicuus habetur solum in numismate aureo Valentiniani I. apud Ducangium (*d*), in cujus aversa facie, ubi legitur IMPP. XXXII. COS. XVII. (*e*) PP. sedet figura muliebris stolata, & galeata, qua Romam forte, vel Constantinopolim adumbrari putat (*f*), sinistra hastam, dextera globum tenens, cui Crux insistit.

Primus vero Imperator manu in iisdem numis Crucigerum globum gestans repræsentatur Theodosius Magnus apud Gretserum (*g*) a quo evulgatur numus, in cujus postica

K par-

(a) *Imper. Rom. Numism. pag.* 459.

(b) *Lib. VII. cap.* 49.

(c) *De Cruce Tom. I. Lib. II. cap.* 54.

(d) *Famil. Byzant. pag.* 54. *Edit. Paris.*

(e) XVII.[us] Consulatus Flavii Valentiniani I. qui Anno Ær. Christ. 364. Imperator creatus est, in numo quem profert Ducangius, signatus, monetarii certe error est, cui corrigendo satis non est numerum VII. pro numero XVII. reponere, ut persuasum fuisse videtur sæpe laudato Cl. Monacho Anselmo Costadoni (*Observat. cit. cap.* 8.). Valentinianus enim quatuor tantum vicibus Consul processit, ut innumeris testimoniis, quæ utpote satis obvia, hic omittenda censemus, probari potest.

(f) *Dissert. cit.* §. XVIII.

(g) *De Cruce Tom. III. Lib. I. cap.* 14.

parte inſcriptio GLORIA ORVIS (pro ORBIS) TERRARVM . Exhinc Crucigeros globos manu ferentes exhibentur in numis Theodoſius Junior, Anaſtaſius , Juſtinus , aliique ſubſequuti Imperatores.

9. Idem obſervare licet de oblonga Cruce, manu a Byzantinis Auguſtis geſtata , ut a Conſtantino in Icone noſtra . Licet enim in Criſpi Conſtantini Filii numiſmate apud Baronium (*a*), & Gretſerum (*b*), in cujus poſtica facie legitur SALVS, ET SPES XRPVBLICÆ, figura ſtolata conſpiciatur ſedens , dexteram protendens, ſiniſtra vero Crucem ferens , ea tamen Salvatorem citati Scriptores repræſentari putant. Dictus igitur Magnus Theodoſius non modo Crucigerum globum, ut vidimus, ſed etiam Crucem primus geſtat in anteriori numiſmatis facie apud eumdem Gretſerum (*c*), in cujus ora legitur DN THEODOSIVS PF AVG: quod paſſim in numis pæne omnium Imperatorum poſt Theodoſium oſtenditur . Ex quibus omnibus conjici poteſt , jam inde ab antiquis temporibus morem illum apud Byzantinos Auguſtos invectum, nempe Crucem in publicis proceſſionibus ſuapte manu præferendi , de quo apud Codinum legitur (*d*): *e reliquis geſtaminibus geſtat Imperator quæcumque voluerit*, *Crucem autem in dextera ſemper portat*.

10. Antequam vero hoc caput concludam , non abs re mihi videtur illud adjungere, etiam Brixiæ Cruces exſtare e SS. Crucis Ligno efformatas , & Græco opere elaboratas ,

in

(a) *Ad Ann.* 324. *num.* 16.
(b) *Loc. cit. cap.* 8.
(c) *Ibid. Cap.* 14.
(d) *De Offic. Magn. Eccl. & Aul. Conſtant. Cap.* VI. *num.* 37.

in quibus Conſtantini, & Helenæ imagines viſuntur, Græcis utrique propriis nominibus ſubjectis; ut in aurea, & nunquam ſatis laudata elucubratione, *Brixiæ Sacræ* titulo evulgata nobis palam facit Cl. Vir omni Eruditionis, & Doctrinæ genere ornatus Joannes Hieronymus Gradonicus C. R., labente anno 1765. ad Archiepiſcopatum Utinenſem, bonis omnibus adplaudentibus, meritiſſime evectus. Quocum & nos jure miramur, Gretſerum, qui in vaſto Opere de Cruce alias minus celebres commemoravit, non modo de laudatis Græcis apud Brixianos Crucibus, itemque de noſtra, cujus nullus meminerat Scriptor, ſed etiam de aliis ſimilibus, quæ in Cimeliarchio D. Marci adſervantur, altum habuiſſe ſilentium.



CAPUT SEXTUM.

De Archangelorum Gabrielis, & Michaelis Iconibus.

1. 
Pud omnes, qui in Ecclesiastica Historia hospites, ac peregrini non sunt, satis compertum est quod narrat Eusebius (*a*) de Magno Constantino, qui cum Maxentii tyrannidi extinguendæ animum adpulisset, *Dei opem implorans, & obsecrans ut illi adjutricem manum porrigeret .... horis diei meridianis, Sole in occasum vergente, Crucis tropæum in cælo ex luce conflatum, Soli superpositum ipsis oculis se vidisse affirmavit cum hujusmodi inscriptione τούτῳ νίκα*, idest *hoc vince;* iterumque ipsi dormienti Christum adparuisse *cum signo illo quod in Cælo ostensum fuerat* (*b*). Admirabile hoc factum Scriptores permulti Constantini temporibus proximi, Philostorgius (*c*), Socrates (*d*), Sozomenus (*e*), talibus additis circumstantiis confirmant, ut non modo audiendi omnino non sint qui vel cum Jacobo Oiselio (*f*) illud referunt ad pias veterum fraudes, vel cum Jacobo Tollio (*g*) pro strategemate habent non minus scito quam fuit illud Philippi Macedonis apud Justinum (*h*), aut Antiochi cognomento

(a) *De Vit. Constant. Lib. I. Cap. 28.*
(b) *Id. Ibid. Cap. 29.*
(c) *Lib. I. Cap. 6.*
(d) *Lib. I. Cap. 2.*
(e) *Lib. I. Cap. 3.*
(f) *Thesaur. Numism. Antiquor. pag. 463.*
(g) *In Not. ad Lactant.*
(h) *Lib. VIII. Cap. 2.*

mento Soteris apud Lucianum (*a*); ſed improbanda etiam jure meritoque videatur eruditiſſimi ceteroquin viri Joannis Alberti Fabricii (*b*) audax ſententia, qui Crucem a Conſtantino Magno viſam naturale fuiſſe phænomenon opinatur in halone ſolari.

2. Verum hoc argumento, quod ad nos minime ſpectat, omiſſo, illud ad rem noſtram obſervatione dignum eſt quod refert laudatus Sozomenus, duos Angelos tum a Conſtantino viſos fuiſſe dicentes ἐν τούτῳ νίκα. In hujus autem rei memoriam Conſtantinum præter S. Helenæ, ac ſuas ipſius ſtatuas ad Crucis latera in Foro Conſtantiniano, duorum etiam Angelorum ſtatuas collocaſſe teſtatur Anonymus Auctor Antiquitatum Conſtantinopolitanarum (*c*). Duorum igitur Angelorum icones in quadratis ex argento laminis deauratis anaglyptico opere ſculptæ, & ad Crucis noſtræ verticem hinc inde locatæ fuerunt ab artifice (quod item præſtitum eſt in area majori, quam deſcripſimus Capite III.; ubi magis rudi opere expreſſæ exhibentur) ex vetuſtiſſimo Græcorum more, quem ſequuti ſunt etiam alii hujuſmodi Tabularum conditores, & earum præcipue quas Clariſſimi Viri Flaminius Cornelius, Philippus Venutus, & Anſelmus Coſtadonus illuſtrarunt.

3. In Tabulis quas primi duo Scriptores exhibent, duo hi Angeli nominibus *Michaelis* & *Gabrielis* diſtinguuntur, Græcis litteris perpendiculari ſcribendi forma diſpoſitis : in noſtra vero eorum item nomina ſculpta duplici hoc monogram-

(a) *Tom. I. pag.* 499.
(b) *Exercit. Crit. de Cruce a Conſtantino viſa Tom. VI. Biblioth. Gr. præmiſſa.*
(c) *Lib. I. num.* 33. & 40.

nogrammate, seu compendio Μιχαὴλ, & Γαβριὴλ: quæ quidem duorum Angelorum nomina etiam apud Gruterum (*a*) in veteri Inscriptione sic contracta MX, & ΓΒ legenda occurrunt.

4. Ad lævam igitur Michaelis in superiori laminæ angulo sculptum dicto monogrammate ejus nomen, & orbiculo inclusum cernitur, ad dexteram vero in alio orbiculo ensis, & spiculum ad decussis formam habentur disposita : symbolum certe Archangelo Michaeli optime conveniens, quo duce *factum est prælium magnum in Cælo ..... & projectus est draco ille magnus serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas, qui seducit universum orbem: & projectus est in terram, & Angeli ejus cum illo missi sunt* (*b*).

5. Eadem observatur dispositio in altera lamina, in qua Gabriel repræsentatur: in orbiculo autem ad hujus Archangeli dexteram, Christi Monogramma sculptum cernitur. De Sacrosancto hoc Monogrammate, quo duabus prioribus litteris Græcis X, & P junctis, & implexis Sanctissimum nomen ΧΡΙΣΤΟΣ exhibetur, post ea, quæ fuse, atque eruditissime commentati sunt clarissimi Viri Dominicus Georgius (*c*), Franciscus Victorius (*d*) Antonius Franciscus Gorius (*e*), aliique permulti, plura hic differere supervacaneum judicamus. Illud tantum monebimus cum laudato

(a) *Inscript. Antiq. Thesaur. pag.* 1048. *num.* 2.
(b) *Apocal.* XII. 7. 9.
(c) *Dissert. de Monogr. Christi D.*
(d) *De Monogr. SS. Nom. Jesu.*
(e) *Commentar. cit. Cap. VI. & VII.*

dato Gorio, quod licet perſpicuum, exploratumque ſit ex pluribus vetuſtiſſimis Monumentis, hoc ſalutare Chriſtianorum ſignum multo antiquius eſſe Conſtantini Auguſti ævo, a quo viri nonnulli, ceteroquin docti, eo tempore, quo Fidem ſuſcepit, & Chriſtianæ Religioni nomen dedit, inventum, ac traditum fuiſſe cenſuerunt; hujus tamen divini thematis propagatorem eumdem piiſſimum Auguſtum fuiſſe pro certo habendum eſt. Ille enim primus militare illud vexillum ab Euſebio (*a*) deſcriptum efformari juſſit, quod *Labarum* vocabatur, cujus longiori haſtæ alia tranſverſa conjungebatur, ex qua pendebat velum, & in eo Sanctum Monogramma depictum; quod in clypeis etiam, in ſcutis, in numis ab eodem Imperatore primum ſculptum, ut conſtans eruditorum opinio eſt, non modo ſubſequentium Auguſtorum fuiſſe ſtemma ex numiſmatibus perſpicue probatur, ſed commune Chriſtianorum etiam ſymbolum fuiſſe declarant antiqua Monumenta permulta. In Icone autem noſtra ad rem appoſite ab artifice ſculptam hanc imaginem habemus; Archangelum namque Gabrielem ferendo ad Mariam Virginem nuntio de Chriſto ex ea naſcituro deſtinatum fuiſſe apud omnes compertum eſt.

6. Dextera manu ſinguli duo hi Archangeli virgam gerunt, quadam quaſi gemma, & flore in apice diſtinctam Ejuſmodi virgam, quam deferunt etiam Angeli in Tabulis noſtræ ſimilibus, ad ſceptrum illud Auguſtis Orientis peculiare, quod Ναρθήκα, ſeu *Ferulam* dixerunt, proxime accedere, a laudatis Clariſſimis Viris Anſelmo Coſtadoni (*b*), & Phi-

(a) *Loc. cit. Cap.* 31.
(b) *Obſervat. cit. cap.* 8.

Philippo Venuti (*a*) obſervatum eſt. Narthecem autem, ab Imperatoribus geſtatum, idem fuiſſe ac Labarum ſcribit Ducangius: *quod enim veteres*, ait (*b*), *Latinis perinde*, *ac Byzantinis Scriptoribus* Labarum *vocabant*, *poſteriores* Ναρθήκα, *ſeu* Ferulam *appellavere : ſiquidem Imperatorum idem fuit geſtamen* , *etſi poſtmodum non eadem omnino forma*, *&* *figura* . Labari igitur figuræ reliquias in hoc ſceptro, quod ex Græcorum conſuetudine dextera geſtant Angeli , ſervatas fuiſſe veriſimile eſt : quod magis probabile redditur ex illorum virgis Angelorum , qui ad latera Crucis a Cl. Flaminio Cornelio deſcriptæ (*c*) poſiti ſunt. In earum enim ſummitate neſcio quid quadratum oblongius eminet, illi perſimile quod adparet in Bulla plumbea Balduini II. Imperatoris Conſtantinopolitani , Diplomati anni 1221. appenſa ; quo Narthecem, ſeu Labarum repræſentari obſervat citato loco Ducangius.

7. Quemadmodum autem, ut ex Simeone Theſſalonicenſi notat idem Auctor, Sceptrum hoc, ſeu Ferula ab Imperatoribus geſtabatur, in Symbolum poteſtatis iis traditæ ſubditos populos puniendi ; ſic etiam apud Græcos invaluit mos eamdem virgam manu ferentes Angelos pingendi ; quibus, ut Juſtitiæ ſuæ Miniſtris, humanarumque iniquitatum ultoribus, uſum fuiſſe Deum, paſſim Divina documenta teſtantur . Hinc ipſamet Pachimeræ verba in Paraphraſi ad Librum de *Cæleſti Hierarchia* Divo Dionyſio adtributum adducens, obſervat ſæpe laudatus Coſtadonus (*d*), *Virgas Angelorum*

(a) *Diſſert. cit. pag.* 19.
(b) *Diſſert. cit.* §. XXI.
(c) *Eccl. Ven. Dec.* XIII. *Par. I. pag.* 155.
(d) *Loc. cit.*

gelorum designare Regiam & Ducalem potestatem, *rectamque rerum Divinarum ordinationem*, juxta illud Apocalypseos (*a*): *& qui loquebatur mecum* (de Angelo ajebat Joannes) *habebat mensuram arundineam*, *ut metiretur civitatem*, *& portas ejus*.

8. Ceterum hic observare juvat non ejusdem omnino formæ singulas nostrorum Angelorum esse virgas. Quam enim gestat Gabriel quasi in florem, seu lilium superne assurgit; Michaelis autem virga quodammodo jaculum in apice repræsentat: quod mysterio, ut mea quidem fert opinio, non caret. In prima enim Symbolum artifex exhibuisse videtur Virginitatis; Gabrielis namque colloquio Deipara Virgo quod in ea operandum erat a Spiritu Sancto didicit, nullo Virginalis Integritatis detrimento: in altera vero bellicæ Fortitudinis imago exprimitur; quippe Michael in Scripturis vocatur Princeps magnus qui stat pro filiis Dei (*b*); eumque in fine mundi cum antiquo illo hoste, qui Deo per superbiam ab initio similis esse concupivit, præliaturum esse novimus.

9. Nonnulla nunc breviter adnotanda remanent de reliqua etiam interioris Tabulæ nostræ area, quam vestiunt argenteæ laminæ encausto cærulei coloris, aureisque huc illuc stellulis depictæ. In antiquis Musivis operibus apud Ciampinum (*c*) Mysticus Agnus in area item cærulea stellis ornata conspicitur. Hujus autem antiquissimæ consuetu-

L dinis

(a) *Cap.* XXI. *v.* 15.
(b) *Dan.* XII. I.
(c) *Vet. Monim. Tom. II. Tab.* XVIII.

dinis rationem reddit Cl. Bonarrotius (*a*), occaſione cujuſdam vitrei fragmenti, quod illuſtrat, in quo medius inter duas ſtellas in area cærulei coloris viſitur Agnus immaculatus. Hoc autem ſignificari ait & Divinam ejus Æternamque Naturam, antequam Orbis crearetur, & in Cælos dominium a Patre illi tributum, & Regnum tandem æternum, humanæ naturæ, quam primus ad Cælum Empyreum evexit, recuperatum. Nec diverſam tradit rationem, cur & in Muſivis apud eumdem Ciampinum (*b*) Crux, ut in Tabula hac noſtra, & in antiquis vitreis Chriſtianorum Vaſis (*c*) Sacroſanctum Chriſti Monogramma inter ſtellas collocatum exhibeatur. Et Crucem enim, & Chriſti Nomen quaſi ſupra Firmamentum exaltatum ita pingere conſueverunt.



C A-

(a) *Oſſervaz. cit. pag.* 38.
(b) *Tom. I. Tab.* LXV.
(c) *Bonarrot. l. c. pag.* 56. 57.

CAPUT SEPTIMUM.

De Vivificæ Crucis, & Tunicæ D. N. J. C. particulis in Tabula nostra adservatis.

1. Is omnibus diligenter pro viribus, atque haud inutili, ut puto, labore expensis, nunc de Sacris illis Pignoribus dicendum est, quæ in Tabula nostra præ ceteris omnibus quantumlibet pretiosis ornamentis fulgent; duabus scilicet Vivificæ Crucis, totidemque Tunicæ Jesu Christi Domini Nostri particulis, quæ quatuor thecis argenteis auro obductis, & crystallo in anteriori parte clausis custodiuntur: quarum duæ primæ ad Crucis latera hinc, illincque inter primam & secundam, seu superiorem, & mediam Crucis nostræ decussationem; duæ vero aliæ sub infima ac minori ipsius Crucis decussatione visuntur. Dexteræ superiori thecæ tantum crystallo aureis characteribus hæc picta legitur inscriptio Ἅγιον Ξύλον, hoc est *Sanctum Lignum*.

2. Singulæ Vitalis Ligni insignes portiones supradictæ longitudine unciam unam, & dimidiam Veneti pedis æquant, latitudine vero, & crassitudine quartam unciæ partem excedunt. Cujusnam speciei lignum hoc sit affirmare non audeo. Ejus color præ vetustate saturum castaneum, ut vulgo vocant, exhibet; peritisque nonnullis, quibus illud examinandum proposui, querneum esse videtur.

Quercum quidem D. J. C. Cruci construendæ adhibitam

 fuisse

fuisse tradit doctissima, & nobilis Femina Valeria Falconia Proba (*a*) his verbis:

Ingentem Quercum decisis undique ramis
Constituunt:

pluresque Justus Lipsius (*b*) in medium profert rationes, ut hanc confirmet sententiam; cui calculum adjecerunt eruditi etiam alii Viri Alphonsus Ciacconius (*c*), Joseph Laurentius (*d*), Serryus (*e*), Angelus Rocca (*f*), & Antonius Sandinus (*g*).

Alii ex Palma Christi Crucem fuisse confectam censent, illudque Canticorum (*h*): *Ascendam in Palmam* interpretantur de Christi Cruce Cassiodorus, Justus Orgelitanus, S. Gregorius, Guillelmus, Tertullianus, & S. Petrus Damiani apud Cornelium a Lapide (*i*). Alii tandem ex quatuor lignorum generibus constasse credunt, ex quibus nonnulli cum Joanne Chrysostomo (*k*), & Beda (*l*) ex Cupresso, Cedro, Pino, & Buxo; plures vero cum Bernardo (*m*), & Auctore Glossæ ad Primam Clementinam *De Summa Trinitate* ex Cedro, Cupresso, Oliva, & Palma; unde illud:

Ligna Crucis sunt Palma, Cedrus, Cupressus, Oliva.

Majorem porro sectatorum numerum, postrema præcipue æta-

(a) *Cent. Virgil. de Fidei Nostræ Myster. cap.* 34.
(b) *De Cruce Lib.* III. *cap.* 13.
(c) *De Lign. S. Cruc. cap.* 30.
(d) *De Tormentis cap.* 7.
(e) *Exercit. LIV. num.* 1.
(f) *Comment. de Partic. S. Crucis. Tom.* I. *cap.* 2.
(g) *Hist. Famil. Sacr. cap.* XV. *num.* 9.
(h) *Cap.* VII. *v.* 8.
(i) *Comment. in cit. Canticor. loc.*
(k) *Orat. de Venerat. S. Crucis.*
(l) *Collectan. de quat. generib. Ligni in Cruc. Chr.*
(m) *Tract. de Pass. Dom. cap.* 46.

ætate, recenſet opinio de Cruce pluribus lignorum generibus compacta: prima vero ſententia pro Quercu ſtans probabilior videtur Eruditis; licet neutra firmis adeo rationibus, vel conjecturis fulciatur, ut res adhuc in incerto non jaceat.

3. Duarum Tunicæ Chriſti portionum, quas claudunt inferiores Tabulæ noſtræ Thecæ materies lana eſt, & quidem rudis: opus textile: color vero cæruleus exſaturatus, & nigricans, qualem fuiſſe hyacinthinum probat Joannes Braunius (*a*) in Pontificum Hebræorum Pallio, ſeu tunica ſuperiore.

Cujuſmodi Veſtis Domini hæc ſit dubium oriri poſſet, quamvis ipſe Beſſario, qui in Epiſtola ad Caritatis Confratres, quam alibi dabimus, eam Chriſti *Divinam Veſtem* ſimpliciter appellat, in Charta Donationis mox item adferenda, *Tunicam* expreſſe vocet his verbis: *Duo fruſta Tunicæ Chriſti, hoc eſt de Sacco*. Quæſtio enim ab Eruditis agitatur, utrum præter Pallium duas Chriſtus induerit Tunicas, interiorem nempe, quæ loco induſii eſſet, ſeu ſubuculæ, & exteriorem iſti injectam; an vero unicam tantum, cui pallium ſuperimponebatur. Primam opinionem tuentur Maldonatus, & Cornelius a Lapide (*b*), aliique perpauci, Euthymii potiſſimum auctoritate nixi, qui tria Chriſtum geſtaſſe veſtimenta, per conjecturam tantum, affirmat. Alteri tamen ſententiæ innumeri melioris notæ Scriptores adhærent; præeuntibus Lactantio Firmiano (*c*), &

Cy-

(a) *Veſtit. Sacerd. Hebr. Lib. I. cap.* 3.
(b) *Comment. in Matth.* XXVII. 35.
(c) *Lib. de Vera Sap. cap.* 18.

Cyrillo Hierosolymitano (*a*), qui de Christo expresse ait: *Tunica autem una, & pallio uno utebatur*: quod quidem perspicue colligi notat inter alios Octavius Ferrarius (*b*) etiam ex ipsis Joannis Verbis (*c*): *milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus .... & Tunicam*. Ut quid enim Tunicam a ceteris Christi vestibus distinxisset, si duas tunicas induere consuevisset?

4. Mirum forte videbitur iis, qui ex hodiernis moribus res veteres æstimare, atque interpretari solent, Christum Dominum duas tantum vestes majores gestasse, Tunicam nempe, & Pallium: majores inquam; non enim de feminalibus, calceis, aut hujusmodi aliis minorum vestimentorum generibus hic sermo est. Verum diutissime, ut observat Casaubonus (*d*), vixerunt mortales, cum in communi usu majorem omnem vestem, præter has duas, ignorarent. Adjecta serius etiam apud Romanos tertia vestis, tunica nempe interior, sed qua perdiu frugi homines parce usi; unde apud Varronem (*e*) legimus: *mihi puero modica una fuit tunica, & toga*. Apud Hebræos autem vel nulla, vel certe ita rara interioris tunicæ mentio ab Eruditis observatur, ut non probabile tantum, sed certitudini proximum judicandum sit, Dominum nostrum, cujus vita universa simplicitatis, & humilitatis exemplum exstitit, quique nullam in cultu mollitiem agnovit, minime illa usum fuisse.

5. Ur-

(a) *Cathech. XIII. num. 26.*
(b) *De Re Vestiar. Par. I. Lib. III. cap.* 1.
(c) *Cap.* XIX. *v.* 23.
(d) *Exercit. XVI. in Baron.* §. 84.
(e) *Cato; sive de liberis educandis.*

5. Urgent quidem nonnulli multitudinis numerum, seu pluralem, ut vocant Grammatici, scilicet *Vestimenta*, quo utitur Evangelista, qui etiam in Græco Textu servatur τὰ ἱμάτια; eaque voce putantes non unam aliquam vestem significare voluisse, sed plures; alia etiam tunica præter Inconsutilem, & Pallium indui solitum fuisse tradunt Servatorem.

Verum qui plures vestes quam duas Dominum gestasse colligunt e voce pluralis numeri ἱμάτια, eos fragili plane arundini inniti, & omnino errare contendit doctissimus Casaubonus (*a*); pluribusque probat *manifestum*, *& certissimum esse* ἱμάτια hic appellari ab Evangelista non plures vestes, sed unicum tantum Christi Pallium: quod evidenter erui ait ex ipsis Joannis verbis: *acceperunt* τὰ ἱμάτια αὐτοῦ *vestimenta eius*, *& fecerunt quatuor partes*, *unicuique militi partem*. Cum enim ea non de quatuor aliis vestibus præter Tunicam intelligenda sint, ut nonnulli censuerunt, quos refellit Euthymius; expresse illis indicatur eadem vestis, Pallium nempe, genus quadratæ oblongæ vestis, quæ ritu Hebræorum fimbrias habebat in quatuor angulis, & in quatuor æquales partes dividi facile poterat, quarum singulæ alicui essent usui.

Porro numerum pluralem hic ex Græcorum consuetudine, & aliarum etiam Linguarum, pro singulari usurpatum fuisse idem Auctor demonstrat, quemadmodum etiam alibi ab eodem Evangelista (*b*), qui de Christo, peracta cœna Discipulorum pedes lavaturo, ait: *surgit a cœna*, *& ponit*

(a). *Loc. cit.* & §. 25.
(*b*) *Cap.* XIII. *v.* 4.

nit τὰ ἱμάτια vestimenta: & tamen Pallium tantum ab eo exutum fuisse communis fert SS. Patrum, & Interpretum opinio. Ejusdem consuetudinis exemplum expressius colligitur ex Marci Evangelio (*a*), ubi de muliere a fluxu sanguinis sanata legitur: ἥψατο τοῦ ἱματίου αὐτοῦ, *tetigit vestimentum ejus*; Jesus autem ita loquens inducitur: τίς μου ἥψατο τῶν ἱματίων; *quis tetigit vestimenta mea?* Eamdem quippe vestem (Pallium nempe, ut aperte eruitur ex Matthæo (*b*)) singulari numero vocat v. 27, quam v. 30. numero multitudinis appellat.

Hæc paulo fusius prosequuti sumus, ut Vestem Domini Nostri, cujus particulæ in Tabula nostra adservantur, non aliam esse quam Tunicam Inconsutilem majori qua fieri potest certitudine asseramus. Rejecta enim, infirmataque sententia de duabus tunicis a Christo Domino gestatis, nullus remanet dubitationi locus pro una tunica asserenda: quippe non solum Tunica ab ipso Bessarione dicitur, sed ejus etiam forma indicatur iis verbis: *Duo frusta Tunicæ Christi, hoc est de Sacco*. Instar enim sacci efformatæ erant tunicæ, respondebantque subucularum nostrarum formæ, licet illæ aliquanto his arctiores essent, longioresque, imo ad talos usque demissæ; unde a Hieronymo (*c*) *Camisiæ* vocantur: qua voce ceteroquin nos solas interiores tunicas apud nos jamdiu in more positas intelligimus, & indicamus.

6. Quod ad materiam Sacræ hujus Tunicæ spectat, ea, ut

(a) *Cap. V. v. 27. & 30.*
(b) *Cap. IX. v. 20.*
(c) *Epistol. ad Fabiol.*

ut jam diximus, lana eſt. Laneam autem fuiſſe Chriſti Tunicam Inconſutilem ita vetuſtiſſima fert traditio, quemadmodum citato loco notat Caſaubonus (cui conſentiunt Ferrarius (*a*), Braunius (*b*), aliique plures Antiquitatum Sacrarum periti, Divinique Verbi Interpretes) ut res extra dubium poſita eſſe videatur.

Non me præterit nonnullos ethimologicis conjecturis addictos pro lino pugnare. Vox enim Latina *Tunica*, & Græca χιτὼν ab Hebræo כְּתֹנֶת *Chethonet* ex omnium ſententia derivantur. „ Porro, ſi Joſepho credimus, ait laudatus „ Braunius (*c*), Tunica ab Hebræis dicetur כתנת propter „ materiam, nempe a lino; כתנא enim *linum* ſignificat... „ Cum itaque Hebræis, vel potius Chaldæis כתנא *linum* ſi- „ gnificet, Joſephus credidit tunicam dici כתנת, quaſi di- „ ceres *lineam*; hæc enim habet Joſephus (*d*): χεθομένη „ (lege χεθόνε) καλεῖται· λίνεον τοῦτο σημαίνει. χεθὸν γὰρ τὸ λινὸν „ ἡμεῖς καλοῦμεν. *Chethomene* (potius *Chetone*) *dicitur: Hoc* „ linum *ſignificat. Nos enim linum Cheton vocare ſolemus.* “ Nec a Joſepho diverſa habet Hieronymus (*e*), de Tunica ſic inquiens: *appellatur* Chetonath, *ideſt* χιτὼν, *quod Hebræo ſermone vertitur in* lineam.

Verum tanti hæc non eſſe, ut ad vetuſtiſſimam traditionem de lanea Chriſti Tunica infirmandam ſufficiant nemo non videt. Primum enim dubitandum occurrit, ut animadvertit Braunius, *utrum illa revera ſint verba Joſephi*,

(a) *De Re Veſtiar. Par. II. Lib. IV. cap.* 11.
(b) *Veſtit. Sacerd. Hebr. Lib. II. cap.* 2.
(c) *Ibid. cap.* 1. *num.* 2.
(d) *Antiquit. Lib. III. cap.* 8.
(e) *Loc. cit.*

an non potius prolata fuerint ab aliquo Græco sciolo; *qui valde amant in vocibus hoc modo ludere*. Præterea, subdit ille, *si hoc verum esset, omnes Hebræorum* כתנות Tunicæ *deberent esse lineæ*: quod tamen falsum esse non modo pluribus probat exemplis ab ipsa Scriptura petitis, sed ipsis etiam Exodi verbis confirmat: *Filiis Aaron Tunicas lineas parabis* (*a*). Et: *Fecerunt Tunicas byssinas opere textili Aaron, & Filiis ejus* (*b*). Nam si in ipsa voce כתנת etiam materia contineretur, quorsum additum fuisset a Moyse *Linum*, & *Byssus*?

Fatetur itaque citatus Auctor linum antiquissimis vestimentis præbuisse materiam, & fortassis ante lanam, ut non mirum esset si quis diceret prima vestimenta apud antiquos כתנת *linea* dicta fuisse a materia, & postea omnes tunicas sic fuisse appellatas, cujuscumque fuerint materiæ; cum antiquitus multa vestimenta vel a materia, vel a colore, vel etiam a forma nomen desumpserint. Verum nullo modo hinc sequitur, ut satis patet, tunicas omnes fuisse lineas; multoque minus apud Hebræos, quos penes, exceptis Sacerdotum tunicis, quæ Lege jubente erant lineæ, nullum, aut certe rarum linearum usum fuisse observat laudatus Ferrarius (*c*); præcipue in Christo Domino, qui omnem hujusmodi cultus mollitiem improbavit: unde Chrysostomus (*d*) ait, Christum *sicut in aliis omnibus*, *sic in veste vilitati studuisse*.

7. Quanam vero ratione Tunica hæc Christi Domini con-

(a) *Cap.* XXVIII. *v.* 40.
(b) *Cap.* XXXIX. *v.* 25.
(c) *Loc. cit. Par. I. Lib. III. cap.* 3.
(d) *Homil.* 85. *al.* 84. *in Joann. num.* 2.

contexta fuerit, non una eſt Eruditorum, & Sacræ Scripturæ Interpretum ſententia, qui miſerrime ſeſe torſerunt, ut inveſtigarent quomodo tale contexi potuerit veſtimentum, quod ſuturam non haberet. Mirum profecto quot maximis ingeniis quæſtio hæc crucem fixerit. Alii enim cum Joanne Chryſoſtomo (*a*), Theophylacto (*b*), & Theopane (*c*) ex duobus eam pannis conſtaſſe crediderunt, quos Paleſtinæ mulieres vel textu, vel acu ita jungebant, ut conjunctio minime oculis pateret, eo ferme modo quo noſtris etiam temporibus duo panni adeo exacte committuntur acu, ut ex iis unus quodammodo effici videatur.

Nonnulli cum Salmaſio (*d*), quem etiam ſequuntur Voſſius (*e*), & Suicerus (*f*); acu quidem ſutam fuiſſe cenſent, & ex diverſis pannis ſectis conſtaſſe, ſarcinatoris opera ſimul conjunctis. Verum quoniam ipſa non fuit ex eo genere tunicarum, quas Græci σχίστους appellabant, quæque ex utraque parte jungebantur fibulis, quæ ῥαφίδες, vocabantur, ideo a Joanne Chriſti Tunicam ἄῤῥαφον dictam tradunt, eo ſenſu quod ſcilicet non haberet ῥαφίδας hoc eſt *fibulas*, ſed ex omni parte clauſa eſſet acus opera.

Alii tandem cum Caſaubono (*g*), Ferrario (*h*), Menochio (*i*); Salmerono (*k*), Heinſio (*l*) Joanne Quirino

M 2 He-

(a) *Ibid.*
(b) *In Joann. Cap.* XIX.
(c) *Homil. in Paſs. Dom.*
(d) *In Vopiſc. Vit. Aurelian. cap.* 46.
(e) *Harmon. Evangel. Lib. II. cap.* 8. §. 11.
(f) *Theſaur. Eccl. V.* χιτών.
(g) *Exercit. XVI. in Baron.* §. 85.
(h) *Loc. cit. cap.* 16.
(i) *De Rep. Hebræor. Lib. VI. cap.* 7. *num.* 6.
(k) *Tom. X. Tract.* 38.
(l) *Ariſt. Sacr.*

Hedeno (*a*), aliisque pluribus, Tunicam Christi eo ferme modo elaboratam fuisse putant, quo hodie tibialia, chirothecæ, & id genus infinita alia ex uno filo, binis, vel pluribus prælongis ferris! aut acubus nectuntur: quæ quidem opinio majorem habuit sectatorum numerum, atque adhuc viget apud viros etiam non ex vulgaribus: licet hujusmodi ars apud Veteres in usu minime fuisse videatur; cum ejus ne Galenus quidem meminerit ad Trasybulum, ubi de variis artibus vestes conficiendi differit.

8. Verum enim vero cuilibet rem serius perpendenti jure meritoque sententia arrideat necesse est diligentissimi, doctissimique Viri alias laudati Joannis Braunii, qui de hoc argumento ad finem elapsi sæculi summa eruditione tractatum edidit, atque evidenter ostendit (*b*), Christi Domini Tunicam sola textoris opera ita totam fuisse contextam, ut nullam omnino suturam habuerit, sed simplici textura undique clausa fuerit, rotunda, & manicata.

Duplicem itaque texendi modum apud antiquos fuisse demonstrat. Quidam enim sedendo, & deorsum texebant, ideſt tramam ad inferiorem partem trudendo, unamque simplicem telam tantum absolvebant longiorem, ex qua plures vestes confici possent: quales sunt panni, & telæ, quæ apud nos hodie detexi solent, eadem ferme ratione. Alii vero stando texebant, ac telam percurrendo ab uno latere ad aliud, tramam spatha, loco pectinis nunc usitati, sursum versus, ideſt ab inferioribus ad superiora detrudendo. Duplicis hujus texendi rationis meminit Herodotus (*c*) his ver-

(a) *Sciss. Vest. Hebr. & Gentil. num.* 4.
(b) *Vestit. Sacerd. Hebr. Lib. I. cap.* 16.
(c) *Lib. II. pag.* 101. *Edit. Lugdun.* 1715.

verbis : *alii vero texentes villum ſubtegminis deſuper tramant; Ægyptii ſubter.*

Hac igitur ratione, ſtando ſcilicet, ſurſum verſus ſtamine extenſo, ſuſpenſis ponderibus, & tramam ſpatha percutiendo, texebantur Tunicæ ἄῤῥαφοι, veſtimenta rotunda, manicata, & undique clauſa, unico tantum hiatu ſuperne patentia, capiti inſerendo. His autem conficiendis non unica tela tantum, aut unicum ſtamen detexebatur, ſed duo ſtamina jungebantur, ut uno eodemque radio, aut, ſi mavis, uno eodemque texturæ filo, ſimul duæ telæ, quaſi duæ plagulæ contexerentur, unde neceſſario veſtimentum rotundum, quales ſunt tunicæ clauſæ, exſurgeret. Hinc eſt quod textores non ſolum ſtare tenebantur, ſed etiam ambulare, & quaſi continuo in gyrum ab una tela ad aliam percurrere. Radio enim, ſive trama per anteriorem telam tranſmiſſa, tramaque ſurſum verſus ſpatha detruſa, & condenſata, textor ſtatim ad poſteriorem telam decurrere tenebatur.

Præclariſſimus Auctor, a quo pauca hæc delibavimus, dilucide totam hujuſmodi veſtium texendarum rationem exponit; explicatque quid eſſet ſurſum verſus texere, ſtando texere, quomodo ſtamen ponderibus ſuſpendi ſoleret, qua ratione duo ſtamina, ſeu duæ telæ jungerentur, quid eſſet duos pannos committere, quid telam percurrere, & inter texendum obambulare. Jugum præterea textorium quod ſuis ſumptibus conſtruendum curavit, quoque Novomagi Anno 1676. ad inconſutilem tunicam detexendam uſus eſt, ære inciſum exhibet: additque artem has texendi veſtes in India coli; & quorumdam Batavorum amicorum ſuorum nomina profert, a quibus hujuſmodi tunicæ ſine ſutura, vel

ullo

ullo acus vestigio, solo textoris opere elaboratæ, ex Indis delatæ fuerunt. Curiosis itaque lectoribus, qui plura scire desiderant, adeundum relinquimus eruditissimum ejus Opus; quod quia ad manus omnium non est, dolemus editum non fuisse iterum in Antiquitatum Sacrarum Thesauro a doctissimo Blasio Ugolino, cui certe hac de causa turbas non excitassent, ut veritus est (*a*), Eruditi, sed gratias habuissent maximas.

9. Nonnulla etiam apposite ad rem hanc illustrandam apud Joannem Ciampinum (*b*) legi possunt, qui Romæ degentem artificem quemdam Franciscum Mariam Granchi, natione Florentinum se cognovisse testatur, a quo hujusmodi Tunicæ sine ulla sutura texebantur. Singulare autem hoc Florentino erat artifici, quod hisce vestibus texendis textorio jugo utebatur ejus formæ, quæ ad pannum cujuscumque generis texendum adhibetur: quod quidem in eadem Urbe alius etiam ingeniosus artifex Franciscus, cognomento Gujot, natione vero Burgundus effecit, atque in Accademia Physico-Mathematica, quæ in ejusdem Cl. Auctoris domo habebatur, proprii ingenii vires periclitatus, non indusium solum, sed & parvulam casulam, vulgo planetam, absque ulla acus ope, solaque, & simplici textura, in solito jugo textorio, propria scitaque Minerva elaboratam protulit. Iterata hæc artificum molimina, quæ bene ceciderunt, jure meritoque argumento fuere laudato Ciampino, quam facile sit hujusmodi tunicas omnino inconsutiles texere; quod arte fieri non posse crediderunt magni

(a) *Præfat. in Tom. XII. Thesaur. Antiquit. Sacr.*
(b) *Vet. Monim. Part. I. cap.* 13.

magni viri Casaubonus, Salmasius, Ferrarius, & alii.

Hæc de ratione textiles hujusmodi vestes conficiendi, etiam posterioribus temporibus adhibita, pluribus quam par erat prosequuti sumus, ut & erronea tot magnorum virorum sententia exploderetur, & ne prædicti alii industrii Viri sua laude fraudarentur.

10. Antiquissimum porro fuisse morem apud Hebræos tunicas hujusmodi textiles elaborandi, jam inde saltem a Mosis temporibus inductum, satis aperte ex descriptione Tunicarum Sacerdotalium, quæ totæ textiles erant, evincitur. Hoc ex citato Exodi textu manifestum esse videtur: *fecerunt & tunicas byssinas opere textili Aaron, & filiis ejus.* His autem verbis tunicas indicari, quæ solam textoris artem, non acus operam subiissent, notant cum Braunio plures alii doctissimi Viri, inter quos Spencerus (*a*). Cum enim præceptum esset, ut e bysso constarent Sacerdotum Tunicæ, non minus necesse erat ut illæ quam ut nostræ *textili opere* conficerentur; adeoque voces istæ prorsus inutiles essent, nisi vestes textoris tantum, non sutoris etiam opera concinnatas indicare censeantur. Hanc vero consuetudinem Christi quoque temporibus viguisse adparet ex Josepho, qui de Magni Sacerdotis Tunica superiore, seu Pallio loquens, hæc habet (*b*): *Hæc tunica non constat e duobus segmentis, ut suturas habeat in humeris, ac lateribus; est autem unica tela in longum contexta.*

11. Quoniam autem ejusmodi tunicæ a superioribus partibus, ut diximus, texi incipiebant, ideo *Tunicæ Rectæ* a Ro-

(a) *De Legib. Hebr. Lib. III. Differt, 1. cap. 2. Sect. 2.*
(b) *Antiquit. l. c.*

Romanis vocabantur. Imo earum originem apud Romanos enarrans Plinius (*a*) refert, Tanaquillam, quæ & Caja Cæcilia dicta fuit, Tarquinii Prisci uxorem, primam fuisse, quæ Rectam Tunicam texuit. Rectas porro Tunicas eas vocatas fuisse, quæ a stantibus sursum versus texebantur perspicue docet Isidorus (*b*) his verbis: *Recta vestis quam sursum versus stantes texunt*.

Ad hunc igitur texendi modum respexisse Evangelistam, cum de Tunica Christi verba faciens ait, *erat autem Tunica inconsutilis desuper contexta per totum*, res mihi videtur, quæ ne minimam quidem dubitationem admittat. Quæ enim magis historicæ veritati, verborumque proprietati conformis interpretatio phrasis illius Evangelicæ *ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς desuper contexta* vel, ut ad verbum reddit Benedictus Arias Montanus, *ex iis quæ desuper contexta*, quam quod Tunica illa texta fuerit sursum versus? Vocis vero ἄῤῥαφος *inconsutilis*, licet obvius satis sit sensus, ut vestem significet absque ulla sutura, nonne clarior adparet, ex iis *verbis ὑφαντὸς δι᾽ ὅλου contexta per totum*, quod idem est ac *tota textilis*? Plura igitur quæ in hanc rem observari possent consulto præteribimus, ne frustra fines nobis propositos transiliamus.

12. Ne autem si ingenium, & eruditionem, diligentiam saltem hac in re nostram quis desideret, reliquum est ut de Inconsutilis Tunicæ D. N. J. C. particulis, qnæ in aliis Christiani Orbis Lipsanothecis adservantur, quasque vel ipsimet

(a) *Hist. Nat. Lib. VIII. cap.* 48.
(b) *Orig. Lib. XIX. cap.* 22.

ipſimet inſpeximus, vel per alios inſpiciendas, atque examinandas curavimus, nonnulla dicamus.

Fredegarius itaque Scholaſticus in Chronico (*a*) refert, anno 30. Regni Guntchramni Regis Francorum, ſeu Anno Ær. Chriſt. 590. Tunicam Domini inventam fuiſſe, cujuſdam Simeonis, filii Jacob opera, in Civitate Zafad (*b*), procul a Hieroſolyma, in arca marmorea, eamque a Gregorio Antiochiæ, Thoma Hieroſolymorum, & Joanne Conſtantinopolis Epiſcopis, cum aliis multis Hieroſolymam fuiſſe perductam. Gregorius vero Turonenſis de eadem Tunica loquens, & narrationem ſuam alienæ magis, quam ſuæ periculo fidei committens, ait (*c*): *Ferunt in Civitate Galathceæ (d) in Baſilica, quæ ad Sanctos Archangelos vocitatur, retineri in arca lignea.* Ad quæ Gregorii verba notat eruditiſſimus Monachus Theodoricus Ruinart, hanc eamdem Tunicam poſtmodum in Gallias tempore Caroli Magni allatam fuiſſe, & apud Argentolium in Agro Pariſienſi depoſitam, ubi cum diu ob tumultus bellorum latuiſſet, medio Sæculo XII., aut non multo ſecus inventa eſt, & præſente Ludovico Juniore cum aliis Regni Proceribus ab Hugone Epiſcopo Rothomagenſi, compluribuſque aliis Epiſcopis, & Abbatibus, publicæ Fidelium venerationi exhibita fuit anno 1156, ubi nunc etiam adſervatur. Hæc autem Cl. Auctor ſcribit, Libellum ea de re laudans a D.

N Gabrie-

(a) *Inter Opera D. Greg. Turon.*

(b) *Joppe* nunc *Zaffa*, & *Jafa*, urbs Palæſtinæ maritima, quondam celebris, nunc diruta, ab Hieroſolymis diſtans 40. Mill. paſſ. (*Baudr. Lexic. Geogr.*)

(c) *Lib. I. de Mirac. cap.* 8.

(d) Urbs Thraciæ, a Byzantio 150. Mill. paſſ. diſtans. (*Id. ibid.*)

Gabriele Gerberon Parisiis editum Anno 1677, quem quia diu conquisitum invenire non potui, divinare haud valeo cujusmodi rationibus, quibusve documentis hæc omnia tueatur, ac fulciat. Plurimum interim, fatebor, apud me auctoritas valet Doctissimi Augustini Calmeti, qui disertissime testatur (*a*), Vestem Domini, quæ in Prioratu Argentolii prope Parisios servatur, non Tunicam esse, sed Pallium purpureum.

13. Antiquiorem Sacræ Tunicæ possessionem jactant Trevirenses. Narrant enim ab Helena Augusta Anno 327. Agritium Antiochenum Trevirorum Episcopum constitutum fuisse, & cum eo Trevirim Tunicam, & Clavum Domini fuisse transmissa. Hoc autem ex antiquissimo Codice Eusebiano in Majoris Ecclesiæ Trevirensis Bibliotheca servato probare nititur Cristophorus Brovverus (*b*), confirmatque Jacobus Mazenius (*c*), tum ex veteri Martyrologio Gallicano, ad diem XVIII. Augusti, tum maxime ex Silvestri Papæ I. Diplomate, quod ex Archivo Trevirensi integrum edidit; & in sententiæ suæ confirmationem Sirmondum laudat, qui idem, paucis immutatis, e Virdonensi Tabulario deprompserat. Ceterum Brovverus nuspiam integrum hoc documentum inveniri, solamque ejus sententiam vetustissimis schedis conservatam fuisse tradit. Idem Diploma iterum publici juris nuper fecit Cl. Doctissimusque Myriophitanus Episcopus Nicolaus ab Hontheim (*d*), qui tamen Petri Boschii (*e*) sententiæ subscribens, illud tamquam suppo-

(a) *Diction. Bibl.* V. Vestes.
(b) *Annal. Trevir. Tom. I. Lib. IV. pag.* 216. *& seqq.*
(c) *Not. & Addit. ad Brovver. Tom. I. pag.* 582.
(d) *Hist. Trevir. Diplom. Tom. I. pag.* 17.
(e) *Hist. Patriarch. Antioch. pag.* 39.

ſuppoſititium, vel ſaltem interpolatum, pluribus de cauſis rejicit, quas hic referre noſtrum non eſt. Ut ut tamen ſit, exſtat certe Leonis Papæ X. Bulla ab eodem Cl. Myriophitano Epiſcopo edita (*a*), in qua nulla quidem de Agritio fit mentio, ſed *a D. Helena, annuente Beatiſſimo Silveſtro PP., Tunica D. N. J. Chriſti, & uno ex clavis, quibus idem D. N. Crucifixus fuit, ac capite S. Cornelii Papæ Martyris, aliiſque Reliquiis multipliciter decorata* Trevirenſis Eccleſia declaratur.

Porro laudatus Mazenius Sacræ Tunicæ, quæ apud Trevirenſes extat effigiem graphice delineatam vulgavit, haſque citato loco refert ejus eſſe menſuras.

Longa eſt quinque pedes, ſeſquidigito minus; ab una manicarum ora ad extremam alteram quinque pedes, & digitos quatuor continet; e manicis ſingulæ porriguntur ſeſquipede, ſunt autem uno pede latæ; infra manicas duos tantum pedes, & tres digitos habet latitudinis; in inferiori tandem extremitate pedes quinque, & digitos ſeptem complectitur.

14. Mihi vero curioſius rem inveſtiganti cum nullus adhuc occurrerit Scriptor, qui de colore, & materia Trevirenſis Tunicæ verba faciat, cumque & in hoc ceterorum etiam Auctorum, qui de reliquis Dominicæ hujus Veſtis portionibus alibi ſervatis ſcripſerunt, diligentia deſideretur; non ab re viſum eſt oculatos teſtes per litteras conſulere, quorum opera mihi innoteſceret quatenus Sacrum Pignus hoc noſtrum cum eodem Trevirenſi, vel cum aliis conveniat. Primum itaque A. R. P. Fr. Vincentium de Aſylo

(a) *Tom. II. pag.* 591.

in Veneta Provincia Fratrum Minorum S. Francifci Cap-pucinorum Miniftrum Provincialem meritiffimum (cujus haud fcio, Doctrina ne, an Humilitas majori digna fint prædicatione, & admiratione) confilii hujus mei fautorem fortunate nactus fum, qui libellum memorialem meum, datis ad A. R. P. Fr. Wigandum Trevirenfis Conventus Cuftodem, five ut vocant Guardianum, litteris, Trevirim mifit, a quo ille quas hic fubjicimus accepit litteras.

„ Plurimum Reverende, & Obfervantiffime P. Provin-
„ cialis.

„ Petitis A. R. Paternitatis Suæ quantocius ftudui facere
„ fatis. Adivi enim Reverendiffimum, & Excellentiffimum
„ D. hujatis Metropolis Decanum, accuratiffime omnes
„ circumftantias ab ipfo expifcando. Hic enim elapfo an-
„ no quinta fcilicet Maji altera die poft Patrocinium Emi-
„ nentiffimi Archiepifcopi, & Electoris noftri Tunicam
„ Inconfutilem D. N. J. C. ex fpeciali gratia populo in-
„ numerabili congregato per aliquas horas ad veneratio-
„ nem propriis manibus exhibuit, qui mihi ut juridice lit-
„ teris communicarem omnia explicavit.

„ Primo. Eft vera Tunica D. N. huic Metropoli a
„ S. Helena Conftantini Magni Matre oblata, & donata.

„ Secundo. Eft Inconfutilis.

„ Tertio. Eft texta ex lino, & lana.

„ Quarto. Color genuinus defcribi non poterit. Toties
„ quoties adfpicitur, quod fane mirandum eft, alium repræ-
„ fentat colorem; fed in quantum obfervari poteft, colo-
„ ris potius fufci effe agnofcitur.

„ Quinto. Eft tota, & integra, & nullibi nec exigua
„ adfervatur particula.

„ Sex-

„ Sexto. Ex una parte propter bajulationem S. Crucis „ parum rosa.

„ Septimo. Adhuc notantur guttæ quædam ex aqua & „ Sanguine, quæ defluxerunt, & in Tunica videri pos- „ sunt.

„ Hæc sunt verba genuina Reverendissimi D. Decani „ ejusdem Metropolis, testis omni exceptione majoris, „ fautoris, & Patroni mei Specialissimi: qui dum hæc no- „ tifico me in favorem A. R. Paternitatis suæ commen- „ dans sum.

Treviris 29. Maji 1766.

Plurimum Reverendæ Paternitatis Suæ
Servus Infimus
Fr. Wigandus
C. T.
p. t. Guardianus.

Hæc omnia laudato Patri in responsione tradita a Reverendissimo, & Excellentissimo Metropolis illius Decano, cui observantiam, atque obsequium meum, qua par est animi devotione, testatum volo, iis pæne omnibus, quæ non modo generaliter de Christi Tunica Inconsutili, sed etiam de particulis ejus in Tabula nostra clausis speciatim diximus, apprime cohærent. Duo tantum, quæ forte alicui satisfacere non omnino videbuntur, liceat examini subjicere. Primum materiam Trevirensis Tunicæ spectat: alterum ejus integritatem. Illud enim Tunicæ nostræ portionum, quas laneas esse monuimus, cum illa quæ ex lana,

& li-

& lino, ut fertur, conſtat, convenientiam minime confirmat; hoc vero tantum abeſt ut eam adſtruat, ut potius maxime illi repugnet.

15. Quod igitur ad primum attinet, non levem profecto admirationem hoc illis incutiet, quibus compertum ſit, veſtem e filo diſpari, imo præciſe ex lino, & lana contextam Lege Moyſis vetitam fuiſſe, quæ his verbis concepta legitur: *Non indueris veſtimento quod ex lana, linoque contextum eſt* (*a*). Eoque vel magis hoc mirum videbitur, ſi (ut probabilius, aliorum infirmatis ſententiis judicat Spencerus (*b*)) eam veram fuiſſe legis hujus rationem ſtatuamus, ut nempe ea Iſraelitarum Ritus ſuperſtitioſis Zabiorum (*c*) cæremoniis oppoſiti inſtituerentur, quos præter alia, teſte Maimonide (*d*), conſtat *tum plantas* (hoc eſt linum) *tum animalia* (lanam ſcilicet) *ad veſtimentum unum adhibuiſſe*. Hujus vero ritus, de Ægyptiis loquens, hanc fuiſſe rationem inter alios tradit Angelicus (*e*) his verbis: *Omnes illæ commixtiones in Agricultura ſunt prohibitæ ad litteram in deteſtationem idololatriæ, quia Ægyptii in venerationem Stellarum diverſas commixtiones faciebant & in ſeminibus, & in animalibus, & in veſtibus, repræſentantes diverſas conjunctiones ſtellarum*. Alia etiam moralis ratio Hebraici hujuſce ritus a Cyrillo, Oleaſtro, & Cajetano apud

---

(a) *Deuteron.* XXII. 11.

(b) *De Legib. Hebræor. Lib. I. cap. 21. Sect. 3.*

(c) Zabiorum nomine *Sabæos* intelligit Hottingerus (*Hiſt. Orient. Lib. I. cap. 8.*) & *Chaldæos* Scaliger (*Epiſtolar. Lib. I. Ep. 62.*). Præter hos autem poſtremos, *Ægyptios*, *Nabathæos*, *Chananæos*, & *Syros*, Chaldæorum dogmatibus addictos, cenſendos eſſe putat Spencerus (*l. c. cap. 1. Sect. 1.*)

(d) *Mor. Nevoc. P. III. cap. 37.*

(e) *Prim. Sec. Quæſt. 102. Art. 6. ad 9.*

apud Tirinum (*a*) exhibetur, nempe ad diſcordias non ſerendas, ad abigendam omnem duplicitatem, denique ad familiaritatem cum diſparibus, aut diſſimilibus non ineundam.

Ex hac igitur Lege, quam Chriſti tempore viguiſſe teſtatur Joſephus (*b*), imo etiamnum vigere tradit Leo Modena (*c*), cum minus veroſimile fieri videatur, Chriſtum Dominum, qui præcepta omnia etiam cæremonialia Antiqui Fœderis implevit, Tunica e lino & lana contexta uſum fuiſſe; facile adducor ut credam, Trevirenſes nunquam pretioſi illius pignoris materiam peritioribus accurate examinandam exhibuiſſe, ſed vulgari potius traditioni acquieviſſe, qua factum eſt ut crediderint, & adhuc credant e diſpari filo eam conſtare.

16. Nec magis veritati conſentaneum cenſeo quod tradunt, Trevirenſem Tunicam omnino integram eſſe, & nullibi ne minimam quidem ejus particulam adſervari: quod ſecundo loco mihi perpendendum reliqui. Nam præterquamquod ceteris Sacræ Tunicæ D. N. J. C. portionibus, quas nonnullæ aliæ Chriſtiani Orbis Eccleſiæ in Sacris earum theſaurariis thecis repoſitas enumerant, fides prorſus neganda eſſet, ſi verum hoc admittatur; illud in primis Trevirenſibus ipſis negotii aliquid faceſſere neceſſum eſt, quod de Dominicæ Tunicæ particula, in Sacello Aulæ ipſius Trevirenſis Archiepiſcopi, & Electoris adſervata, diſcimus ex authentico Documento anni 1661. a laudato Cl. Epiſcopo Myriophitano ſuffraganeo Trevirenſi edito (*d*) quod inſcribitur:

(a) *In Levitici* XIX.
(b) *Antiquit. Lib. IV. cap.* 8.
(c) *Cærem. Judæor. Par. I. cap.* 5.
(d) *Hiſtor. Trevir. Diplom. Tom. III. pag.* 342.

bitur : *Atteſtatio Reliquiarum in Capella Aulæ Archiepiſcopi Trevirenſis, & præcipue Tunicæ Domini*. Hæc igitur ad rem noſtram in eo leguntur : „ Georgius Epiſcopus Azotenſis , „ Gargolphus Epiſcopus Doralienſis , Joannes B. de Dinis „ Protonot. Apoſtol. , Gerlacus Buſch Officialis Treviren- „ ſis, unanimi conſenſu Deputati Judices, ſententiam tule- „ runt , Sacram particulam Tunicæ in Capella Aulæ Ar- „ chiepiſcopalis exiſtentem, cujus dimidietatem Eminentiſs. „ & Reverendiſs. D. Philippus Chriſtophorus Archiepiſco- „ pus Trevirenſis, ac Princeps Elector &c. Sereniſſimæ-Iſa- „ bellæ Claræ Eugeniæ Hiſpaniarum Infanti , Archiduciſſæ „ Auſtriæ &c. nuper devotionis ergo donavit, fuiſſe hacte- „ nus merito , & rationabiliter in dicta Capella tamquam „ Sacræ Tunicæ D. N. particulam cuſtoditam, tentam, & „ cultam, idque citra præjudicium Sacræ Tunicæ , quæ in „ Metropolitana Trevirenſi reverenter adſervatur. "

Hæc quidem non decertandi animo (a quo ſemper abhorrui) neque ut Sacræ Trevirenſis Tunicæ veritatem in dubitationem adducerem, dicta ſunto ; ſed ut quas de poſita ejus materia , atque integritate dubitandi habeo rationes , æquis doctiſque Lectoribus examinandas proponerem. Non enim is ſum , qui ſententiam meam mordicus tueri velim ; quam imo, ſi validiora in medium proferantur argumenta, plane abdicabo, meque hac in re fuiſſe alucinatum fateri non dedignabor.

17. Age vero de aliis etiam Dominicæ Tunicæ particulis alibi ſervatis , quæ colligere potuimus breviter enarremus. Princeps detur locus fruſtulo illi, quod anno 1391. a Donato Caroſo S. Luciæ hujus Urbis Plebano, Fantino Alberegno Plebano S. Moyſis quoad viveret , eoque defuncto ,

Confra-

Confratribns Sodalitii S. Marci legatum, vi cujuſdam conventionis, ſeu pacti, cujus Documentum publici juris fecit Cl. Nicolaus Coleti (*a*), in duas partes anno ſequenti diviſum fuit, ejuſque dimidia pars in dicta Eccleſia S. Moyſis; altera vero apud laudatæ Sodalitatis Confratres ad uſque hodiernam diem cuſtoditur. Quibuſnam fundamentis ea Veſtis Dominicæ portio in laudato Documento *Veſtis* dicatur *manibus glorioſiſſimæ Mariæ Virginis, ut creditur, laborata* (quibus verbis non aliud innuitur, niſi Inconſutilis Tunica, ejuſque propterea portionem eam eſſe credidit laudatus Auctor) fatebor me ignorare. Illud certum eſt, eam ſimpliciter Veſtem D. N. vocari in Donati Caroſi teſtamento, cujus hæc ſunt verba (*b*): *Item dimitto Domino Presbytero Fantino Alberegno Plebano S. Moyſis meam Reliquiam quæ eſt de Veſte Domini Noſtri Jeſu Chriſti*. Porro unam, alteramque portionem propriis egomet oculis inſpexi, eaſque a noſtris omnino diverſas eſſe cognovi. Nam quamvis illarum materies, ut per vitrum obſervare licet, lanea ſit, opus tamen non adeo rude: color vero purpureus eſt, vel potius coccineus. Hinc, quantum auguror conjectura, eæ vel ſunt portiones Dominici Pallii, vel ejus veſtis, qua ab Herode Chriſtum illuſum fuiſſe ſcimus, de qua nonnulla alibi diximus (*c*).

18. Alteram Tunicæ Chriſti portionem in Metropolitana Florentina Eccleſia coli, atque obſervari tradit Coſimus Minorbetti (*d*), & poſt eum Joſeph Richa (*e*) S. J. Preſbyter;

O byter;

(a) *Monum. Eccl. S. Moyſis pag.* 138.
(b) *Ibid. pag.* 139.
(c) *Cap. III. num.* 3.
(d) *Relaz. delle Reliq. della Metrop. di Fir. pag.* 23.
(e) *Notiz. delle Chieſe Fiorent. Tom. VI. pag.* 190.

byter ; eamque anno 1454. Florentiam Magno Duce Cosimo I. imperante fuisse delatam. Quamobrem humillime a me per litteras est rogatus humanissimus, atque omni Scientiarum, Doctrinæque genere excultissimus Basilicæ illius Archidiaconus, ut de opere, materia, atque colore Sacri illius Pignoris ea mihi singillatim exponeret, atque significaret, quæ a laudatis Auctoribus prætermittuntur. Hinc summa qua pollet ille benignitate, quam ocyssime, ac luculentissime respondit, se, nonnullis etiam secum ad eam rem adhibitis sociis, Sacram illam Tunicæ portionem quatuor circiter digitos latam, in magna Cruce aurea locatam, omni diligentia inspiciendam, atque examinandam suscepisse.

Ejus igitur opus procul dubio textile est; materies vero (quatenus de eadem, geminis crystallis interclusa, pluribus optime ratiocinando additis observationibus, illi conjicere licuit) lana, non quidem rudi opere, ut de nostra animadvertimus, elaborata: quo fit, ut ea ferme ratione, qua subtiliores Bruxellarum, ut vocant, panni ex villis caprinis contexti, nitescat. Color denique ad crocei, seu lutei genus illud proxime accedit, quod Galli *Serè* vocant, pallidi tamen, & valde diluti. Hæc me omnia facile in eam adducunt sententiam ut credam Florentinam Vestis Dominicæ portionem, ejusdem esse speciei cum Veneta illa quæ partim in Ecclesia S. Moysis, partim in Sodalitio D. Marci adservatur: quod tamen omnino asserere non ausim.

19. Ejusdem Sacræ Dominicæ Tunicæ particula in Metropolitana Bononiensi Ecclesia custoditur, & colitur, ut scribit Antonius Masini (*a*). Eam igitur per humanissimum

(a) *Bologna Perlustrata pag.* 199.

mum Virum, mihique amicissimum Antonium Giandolini inspiciendam curavi, cujus diligentiæ, Rerumque præcipue Sacrarum peritiæ fidere me posse certo sciebam. Verum tanta pretiosi illius pignoris est exilitas, ut neque de materie qua constat, neque de operis textura ullum ferri posse judicium testatus sit: vixque ejus color, qui subobscurus adparet, cujusmodi præcise sit, distingui, ac significari possit; partim vitro quo est conclusa, partim gummi quo firmatur, partim deniqne aureo panno quo superimposita cernitur, impedientibus.

20. Inter cetera ornamenta Basilicæ Lateranensis numeratur a Joanne Diacono (*a*), & post eum a Panvinio (*b*) Tunica Inconsutilis: quod pluribus antiquis monumentis confirmat Cl. Marius Crescimbeni (*c*). Clausa ea servatur in argentea theca quadratæ oblongæ formæ, in cujus peripheria hæc legitur inscriptio: *Interula quam Beatissima Virgo propriis manibus Unigenito Filio suo Domino Nostro Jesu Christo confecit*.

Integra ea esse, atque ex lino contexta vulgo creditur. Hujus autem rei veritatem mihi sedulo inquirenti, nullum datum est oculatum testem invenire: quippe adeo religiose, ne dicam superstitiose, addita etiam ipsi thecæ sera, custoditur, ut non modo nemini liceat eam inspicere, sed nunquam post hominum memoriam thecam illam referatam fuisse ferant: quod mihi per litteras nuperrime

 signi-

(a) *De Eccl. Lateran. Apud Mabillon. Mus. Ital. Tom. II. Par. II. pag.* 564.
(b) *De VII. Urb. Eccl. pag.* 126.
(c) *Ist. della Chies. di S. Gio. ec. pag.* 134. 135.

significavit humanissimus Nicolaus Torti, dictæ Basilicæ Beneficiarius.

21. In Metropolitana quoque Mediolanensi Basilica Christi Tunicæ portionem servari docuit elapso sæculo Paulus Morigia (*a*). Verum humanissimis litteris P. Romualdi Mariæ a S. Cajetano Ordinis Augustiniani, Viri apprime docti, certior redditus sum, non eam vere Dominicam Vestem esse, sed Vestis Servatoris Nostri Imaginem, seu formam sericam, instar parvi thoracis, & acu Phrygio eleganter pictam. Id autem observatum etiam fuisse monet a doctissimo Bernardino Cassino, Sacræ Theologiæ Doctore, SS. Ambrosii, & Caroli Oblato, & ejusdem Basilicæ Cæremoniarum Protomagistro, qui Sacras Reliquias ibidem servatas paucis ab hinc annis illustravit. Hæc igitur habet Cl. Auctor (*b*). „ Intra eamdem arculam (ex ligno sera „ sine clave instructam in prædicta capsa reconditam) se„ricum versicolor instar parvi thoracis efformatum, & „ acu Phrygio eleganter pictum, chartula inclusum asserva„tur, hac epigraphe adjecta : *Vestis Salvatoris nostri*. Ex „ actu Visitationis Reverendissimi Mascardi inferre licet, „ sericum hoc esse formam Vestis Salvatoris N. J. C.; „ nam inter Reliquias habitas a Guardiano Hierusalem, „ postquam Agnus Dei, seu Numismata enumeravit, de „ hoc quoque serico meminisse videtur his verbis : *For„ma Vestis Domini N. J. C. variis coloribus contexta*. “ Hujusmodi porro exempla seu formas Dominicæ Vestis, alia-

(a) *Il Duomo di Milano pag. 61.*

(b) *Veritas Sacrar. Reliquiar. in Basil. Metropolit. Mediolan. existentium illustrata. Mediolani* 1743. *Pag.* 10.

aliarumque Sacrarum Reliquiarum confici confueviffe a Chriftianis mox adnotabimus: quod in caufa fuit, cur archetypa ab imaginibus fecernere, difficilis admodum res evaferit.

22. Plures alias ejufmodi Veftes in aliis etiam Catholici Orbis Ecclefiis, ac præcipue in Gallia coli difertis verbis tradit Pater Honoratus a S. Maria Ordin. Carmelitarum. Scribit enim (*a*) Gallos ab Oriente accepiffe tempore Sacri Fœderis tot *Sancta Præputia*, *Sindones*, *Veftes Inconfutiles Jefu Chrifti*, *ejufque paffionis inftrumenta &c.*; & alibi (*b*) vocat *mirum numerum Sindonum*, *& Veftium Inconfutilium Jefu Chrifti*. Quodnam de hujufmodi Veftibus judicium ferri poffit, periculofæ aleæ plena res eft. Cum enim omnis ipfarum memoria perierit, & chartæ, in quibus de illis fit mentio, interciderint, id non levem confufionem peperit, atque ambiguitatem invexit. Hoc tantum, ut notat laudatus Auctor (*c*), verofimile videtur, tot Inconfutiles Tunicas, quæ Jefu Chrifti ufui fuiffe dicuntur, ad illud pium Chriftianorum inventum referendas effe, quo factum eft ut ipfi exempla, five Imagines Reliquiarum conficerent, quæ Jefu Chrifto, B. Mariæ Virgini, aliifque Sanctis tribuuntur, eafque veris Reliquiis admotas eadem animi affectione, eademque fide fervarent, ac venerarentur, qua Reliquias ipfas, quas attigerant. Porro an hujufmodi Imaginum, an veræ Chrifti Tunicæ portiones eæ fint, de quibus adhuc egimus, quis tuto affirmare poterit? Illud addam quod ad particulas Dominicæ Tunicæ attinet in Tabula

---


(a) *Animadverf. In Regul. Crit. Lib. V. Differt. VI. Art. 6.*
(b) *Art.* 7.
(c) *Ibid.*

bula noſtra ſervatas; eas nimirum archetypas eſſe, non archetyparum exempla. Hoc enim de his dubium oriri minime poſſe videtur: quippe ab immemorabili tempore Tabulam noſtram, quibus eæ continentur, ad Byzantinos Imperatores, & Patriarchas ſpectaſſe certo certius laudata Charta donationis evincit mox adferenda.



CAPUT OCTAVUM.

De Antiquis Tabulæ nostræ Possessoribus.

I. Onuimus Capite Primo Phylacteria majora Græca, ad quæ Tabula hæc nostra spectat, Augustorum, & Augustarum potissimum Orientalium, aliorumque Imperialis Familiæ Principum devotioni condita, ac dicata fuisse. Hoc testantur Cruces, seu Tabulæ hujusmodi Græcæ plurimæ, quæ in Occidentalium Ecclesiarum Thesauris adservantur, ex Oriente asportatæ; inter quas a Doctissimis Viris memorantur, atque illustrantur Cruces Irenes Ducænæ, Manuelis Comneni Imperatoris Aviæ, & Uxoris Alexii Comneni (*a*): Mariæ Augustæ, Nicephori Botoniatæ conjugis (*b*): Constantini Patricii Triremium Præfecti (*c*): celebris Annæ Comnenæ, Alexii, & Irenes filiæ (*d*): Alexii Ducæ, qui ab Irene Ducæna supradicta genus trahebat (*e*): Manuelis Comneni (*f*): Nicephori Phocæ (*g*), aliorumque Byzanti-

---

(a) *Montfaucon. Diar. Ital. pag.* 53. *&* *Palæogr. Gr. pag.* 310. *Flam. Cornel. Eccl. Ven. Dec. XIII. pag.* 152.

(b) *Id. Ibid. &* *Joann. Theupol. Trattato delle Reliquie ec.*

(c) *Theupol. &* *Cornel. ibid.* Tres supradictæ Cruces in Cimeliarchio Basilicæ D. Marci servantur.

(d) *Ducangius in Notis ad Alexiadem pag.* 424.

(e) *Id. Dissert. XXVI. ad Joinvillam.* Exstat hæc Tabula in Gradimontana Abbatia Lemovicensi.

(f) *Monfaucon. Palæogr. Gr. pag.* 309. Exstat in Monasterio S. Germani a Pratis.

(g) *Wading. Annal. Minor. Tom. XI. pag.* 120. *Philippus Venutus Dissert. cit.* Adservatur in Basilica Cortonensi.

zantinorum Principum. Ad hos etiam Principes spectasse non dubitamus tum Crucem illam, quam e Palatio Constantinopolitano Imperatoris Michaelis ablatam Nobilis quidam Amalphitanus Casinensi Monasterio obtulit (*a*): tum eam, quæ in Benedictino Monasterio S. Crucis Donaverdæ colitur, quam Mangoldus Werdensis Comes e Græcia secum adtulit (*b*); tum quam illustravit Cl. Costadonus (*c*); tum denique duas alias, de quibus agit Ducangius, quarum una in Monasterio Montis S. Quintini in Piccardia (*d*), altera in Ambianensi Ecclesia Cathedrali custodiuntur (*e*).

2. Nostram porro Sacram Tabulam ad Constantinopolitanos Imperatores spectasse perspicue testatur sæpius laudata Charta Donationis ab Amplifs. Cardinali Bessarione factæ, his verbis: *Quod pretiosissimum, saluberrimumque depositum, & locatum in Urbe Imperatoria Constantinopolitana, Christianis regnantibus per manus Imperatorum, atque Patriarcharum Constantinopolitanorum &c.* Cujusnam autem Byzantini Augusti jussu condita ea fuerit, ne conjiciendo quidem affirmare ausim. Ex iis enim quæ de picturis exteriorem Tabulæ hujus nostræ faciem ornantibus adnotavimus (*f*), itidemque de nonnullis characteribus in argentea Cruce cælatis

---

(a) *Chron. Casin. Lib. III. cap.* 55.

(b) *Magnoald. Ziegelbaur Hist. Didact. de S. Crucis cultu &c. Bricherius Columbus Differt. &c.*

(c) *Observat. In pervet. Icon. &c. in Monasterio S. Michaelis de Muriano adservatam.*

(d) *Ducangius. Differt. XXVI. ad Joinvill.*

(e) *Idem Traitè Hist. du Chef de S. Jean Bapt.*

(f) *Cap. III. num.* 21.

latis (*a*), vix argui posse credimus, eam vel undecimo labente sæculo, vel duodecimo ineunte fuisse confectam: quo tempore Alexius, ejusque Filius, & successor Joannes ex Comnenorum Familia regnarunt.

Illud certum est, ante annum 1355. Phylacterium hocce nostrum in potestatem devenisse cujusdam Irenes Palæologinæ, Fratris Imperatoris filiæ, ejusque opera argentea Cruce deaurata, quæ in interiori Tabula sita est, aliisque argenteis laminis fuisse exornatum. Hoc autem perspicue constat ex Græca Epigraphe in ejusdem Crucis stipitis margine, seu peripheria sculpta, ut videre est in Tabula IV. ubi ipsam Inscriptionem incidendam curavimus, servatis non modo archetypa characterum forma, & magnitudine, sed mendis etiam ab artifice commissis, licet in ipsa Regia Græcorum Urbe Constantinopoli fuerit insculpta. Ejusmodi autem est Inscriptio, quam hic vulgari scribendi more subjicimus, atque ab erroribus, qui in eam irrepserunt purgatam.

Τὸν κοσμοπροσκυνητὸν σταυρικὸν τύπον ἀργύρῳ κοσμεῖ Δ' ἀδελφοῦ Βασιλέως Εἰρήνη θυγάτηρ Παλαιολογίνα, σωτηρίας ἔντευξιν, λύτρον πταισμάτων.

Hunc mundo-adorabilem Crucis typum argento ornat D. fratris Imperatoris Irene filia Palæologina, salutis interpellationem, redemptionem peccatorum.

3. Quænam fuerit hæc *Irene Fratris Imperatoris filia Palæologina* docemur ex Palæologorum Familiæ Genealogica Historia, quam cum ceteris Byzantinorum Augustorum Familiis certissimis documentis eruditissime illustrarunt Ansel-

P mus

(a) *Cap.* IV. *num.* 3.

mus Bandurius, & Carolus Ducangius. Non enim alia Irene in tota Palæologorum Genealogia invenitur, quæ *Fratris Imperatoris Filia* vocari poſſit, præter Irenem Demetrii, Fratris Michaelis IX. Palæologi Imperatoris Filiam, quæ poſtea Matthæo Cantacuzeno Imperatori fuit in uxorem tradita.

Veritatis hujus teſtimonia proferam ex laudatis Auctoribus. Hæc itaque ad rem noſtram ſcribit Bandurius (*a*): *Andronicus II. Palæologus, Michaelis, & Theodoræ filius, vivo parente coronatus .... uxorem ..... duxerat Annam Stephani V. Hungariæ Regis filiam: ex qua ſuſcepit Michaelem, quem Auguſtum appellavit, & Conſtantinum Macedoniæ, ac Theſſalonicæ Præfectum ...... Poſt Annæ mortem alteras nuptias iniit cum Irene Guillelmi VI. Marchionis Monferrati filia: e qua nati liberi quatuor; Joannes qui circa annum* 1308. *obiit*; *Demetrius, qui cum in Patris offenſionem incurriſſet, in aulam Serviæ ſe recepit &c.* Hinc de Michaele Andronici II. filio verba faciens, hæc addit: *Michael IX. Palæologus, ſupradicti Andronici Imperatoris, & Annæ filius, Imperator a Patre appellatus eſt die* 21. *Maji* 1295. Eadem habet Ducangius (*b*), qui iiſdem ac Bandurius auctoritatibus nititur.

Demetrius igitur frater erat Michaelis IX. Palæologi; ambo ſcilicet Andronici II. filii: primus quidem ex Irene, alter vero ex Anna. De liberis autem Demetrii loquens laudatus Ducangius (*c*) ait: *Demetrius Palæologus Deſpota, & Theſ-*

(a) *Numiſm. Imper. Tom. II. pag.* 770.
(b) *Famil. Byzant. pag.* 235. *Edit. Pariſ.*
(c) *Loc. cit. pag.* 236.

& Theſſalonicæ, regionique adjacenti Præfectus .... Præ ceteris liberis, quorum nomina reticuere Scriptores, fuit Irene Palæologina , Matthæi Cantacuzeni , Joannis Imperatoris filii uxor.

De hac itaque Irene, Demetrii Fratris Imperatoris Michaelis IX. Palæologi filia, intelligendam eſſe Inſcriptionem noſtram patet ex adductis doctiſſimorum Scriptorum teſtimoniis. Sed & in ipſa Inſcriptione Demetrii Irenes Patris nomen indicatum inveniri mihi auctor eſt celeberrimus, eruditiſſimuſque P. Jo. Franc. Bernardus M.ª de Rubeis, tot doctiſſimis editis operibus non apud Italos tantum , ſed apud exteras etiam Nationes Clariſſimus, cujus ſummæ in me benignitati , qua mea ſemper ſtudia juvit , cum pares nequeam referre gratias, quas ſaltem poſſum memori mente æternum perſolvam. Litteram igitur Δ' , quam ideo data opera etiam in ſupra allata Inſcriptione archetypa forma expreſſam dedimus , ſine dubio *Delta* eſſe obſervans ex Gregorio Placentino (*a*), eam ut initialem nominis Demetrii accipiendam eſſe judicat ; eoque vel magis , quod & ſigno aliquo abbreviationis notata cernitur, & a ſequentibus litteris ſpatio aliquo diſtans ; ut obſervare licet in ipſa Inſcriptione juxta exemplum ſculpta (Tab. IV.) , quæ ceteroqui ita exarata eſt, ut voces omnes cum ſequentibus junctæ ſint , nec ullum inter eas intervallum adpareat.

4. Diximus Tabulam hanc noſtram non Irenes juſſu primo conditam fuiſſe, ſed ſolum in ejus poteſtatem deveniſſe ; idque ante annum 1355. Primum conſtat non modo ex ipſis Inſcriptionis verbis, quibus tantum adfirmatur Cru-

(a) *Epitom. Palæogr.*

cem ab Irene argento fuiffe exornatam , fed ex iis etiam quæ alibi adnotavimus tum de Tabulæ noftræ picturis (*a*), tum de nonnullarum Infcriptionum Characteribus, antiquius ævum redolentibus (*b*). Conjicimus itaque in media interiori Tabula, cum ea primum Ireni ceffit, minorem folummodo argenteam Crucem cum Servatoris Imagine, quam item antiquioris ætatis opus effe monuimus (*c*), fitam fuiffe, eamque majori Cruci, Irenes juffu affabre efficta, fuiffe commiffam. Sed & alias argenteas laminas, illifque fculptas Infcriptiones, lapillofque, ac uniones, quibus extima Tabulæ facies condecoratur, ejufdem piiffimæ Matronæ Principis opus fuiffe, iifdem innixi fundamentis credimus. Ita enim depicta eft tota, ut abfque dictis pretiofis ornamentis eam a primis ejus poffefforibus confectam fuiffe tuto affirmare poffimus.

5. Quod ad alterum fpectat, ante Annum fcilicet 1355. Irenem Tabula hac potitam fuiffe, videtur id extra omnem dubitandi rationem pofitum effe. Nam cum Irene uxor fuerit Matthæi Cantacuzeni, qui, citatis Auctoribus teftantibus, anno 1355. Imperator falutatus eft; non fimplicem *Irenes Palæologinæ Fratris Imperatoris Filiæ*, fed *Auguftæ* etiam titulum in Infcriptione cælari juffiffet: nifi fi quis exiftimare velit, confulto ab ea, ob tragicas mariti vices titulum hunc prætermiffum fuiffe. Quamvis enim magno apparatu nuptiæ Irenes Theffalonicæ celebratæ fuerint (*d*), ipfeque Matthæus poftea a Patre Imperator dictus fuerit, hac tamen appellatione haud diu potitus eft: quippe a Joanne

(a) *Cap.* III. *num.* 10.
(b) *Ibid. num.* II. *&* *cap.* IV. *num.* 3.
(c) *Cap.* IV. *num.* 3.
(d) *Cantacuz. Hift. Lib. II. cap.* 38.

Joanne Palæologo eodem anno recepta Constantinopoli, Matthæus captus est, & in Lemnum Insulam, deinde in Pelopponesum relegatus; donec dimisso, Patre suadente, Imperatoris titulo, libertati redditus est, Despotæ tantum nomine in posterum appellatus (*a*).

6. In cujus potestatem post Irenes obitum Phylacterium nostrum devenerit, vel ab ea legatum fuerit prorsus ignoramus. Ex laudata tamen Charta Donationis docemur, multis illud post annis *devenisse in custodiam olim claræ memoriæ Gregorii, Miseratione Divina dignissimi Patriarchæ Constantinopolitani, qui ob scandala, & pertinaciam Decretum Unionis Oecumenici Florentini Concilii detrectantium, piissimus ipse Pater sede sua relicta Romam venit, ubi post suæ Sanctitatis, & Fidei clarissima testimonia naturæ concessit.*

Gregorius hic, testibus Phranza (*b*), aliisque Byzantinis Scriptoribus apud Michaelem Le Quien (*c*), cognomento *Mammas*, & *Melissenus*, a nonnullis etiam *Strategopulus* vocatus, sub Joanne Palæologo Imperatore Manuelis filio, & Josepho II. Patriarcha, primis Ecclesiæ Constantinopolitanæ dignitatibus fulsit. Ex Hieromonacho enim Summus Pœnitentiarius effectus, & Protosyncellus, idest omnium Syncellorum, seu Patriarchalis Palatii Domesticorum Primarius, Florentinæ Synodo interfuit; ejusque Definitioni, Philothei Patriarchæ Alexandrini vices, & personam gerens, subscripsit (*d*); imo Apologiam adversus Marcum Ephesium exaravit, quam editam in Appendice Concilii Florentini

(a) *Id. Lib. IV. cap.* 45. 49.
(b) *Chron. Lib. II. cap.* 17.
(c) *Or. Christ. Tom. I. col.* 309.
(d) *Tom. XIII. Concilior. Labb. pag.* 527.

rentini (*a*) habemus; pluraque alia pro eadem Synodo scripsit, de quibus consulendus Joannes Albertus Fabricius (*b*); qui tamen corrigendus est, ubi *Confutationem Capitum Syllogisticorum Marci Ephesii adversus Latinos* Gregorio tribuit, quam Georgii Scholarii opus esse, rogatu Gregorii τȣ͂ νέȣ ὁμολογητȣ͂, seu *Novi Confessoris*, Patriarchæ Constantinopolitani, compositum, testatur Codex 489. Bibliothecæ Græcæ D. Marci, quam nostris temporibus Cl. Antonius Maria Zanetti ejusdem Bibliothecæ emeritus Custos illustravit.

A Metrophanis Patriarchæ Constantinopolitani obitu tribus elapsis mensibus, Gregorius, licet invitus, anno 1446. (*c*), non vero 1445., ut perperam Fabricius asserit (*d*), fuit illi suffectus. Cum autem in Oriente dissidia in dies increbrescerent, postquam sedisset annos quinque, & mensem unum, se Patriarchatu abdicavit, & Romam secessit Anno 1451. (*e*), Sacrarum Reliquiarum secum ferens insignes thesauros (*f*), inter quas Tabulam hanc nostram, quæ per manus Imperatorum, & Patriarcharum Constantinopolitanorum in ejus manus, ac potestatem transierat.

Ante obitum suum (verba sunt sæpius laudatæ Chartæ Donationis) *nominatim, atque affectuose prædictam Sanctissimam gemmam Venerandæ Dominicæ Crucis, & Tunicæ, ipsi Reverendissimo D. Cardinali* (Bessarioni), *quem unice dilexerat, & paterno affectu, & Caritate fuerat prosequutus,* *absenti*

(a) *Ibid. pag.* 754. *& seqq.*
(b) *Biblioth. Gr. Tom. X. Lib. V. cap.* 43.
(c) *Phranza Lib. II. cap.* 19.
(d) *Loc. cit.*
(e) *Phranza Lib. III. cap.* 3.
(f) *V. Ughell. in Præfat. de Eccl. Cortonensi*, & quæ ad eum locum adnotavit Cl. Vir Philippus Venutus *Dissert. de Cruc. Corton. pag.* 6. *& seq.*

abſenti tunc, & in Mantuano Conventu degenti legavit. Nullum ego non movi lapidem, ut dicti Gregorii teſtamentum ad manus meas perveniret, ſperans me ex eo plura alia ad Tabulam hanc illuſtrandam ſpectantia collecturum. Cum tamen haud mihi res ex ſententia ceſſerit, duo tantum hic, antequam capiti huic finem imponam, adnotabo.

7. Primum Gregorio Mammæ Phylacterium hoc ceſſit, cum nondum Patriarcha renuntiatus eſſet, ſed Summi Pœnitentiarii munere fungeretur. Hæc enim legitur Inſcriptio in tranſverſa ſuperiori Crucis linea, de qua egimus Capite IV. Γρηγορίȣ Πνῑκȣ̃ (ut videre eſt Tab. IV.): quæ poſtrema contracta vox ita abſque dubio ſuppleri debet Πνευματικȣ̃, hoc eſt *Gregorii Spiritualis*, ſive *Confeſſarii*, vel *Pœnitentiarii*; ut omnium primus opinatus eſt Cl. P. F. Jo. Franciſcus Finetti Ord. Prædicatorum, doctiſſimis, eruditiſſimiſque operibus celebris: quod quidem non ſolum ex iis, quæ ſupra diximus, ſed etiam ex Auctore Hiſtoriæ Politicæ Turco-Græciæ apud citatum Le Quien colligitur: *Erat Conſtantinopoli* Πνευματικὸς (*Spiritualis*) *nos Confeſſarium Pœnitentiarium dicimus, vir Sanctiſſimus cognomento Mamma, Magni Ducis compater, quem arripientes invitum prorſus Patriarcham fecerunt, & conſtituerunt*. Titulum porro *Pneumatici* in Inſcriptione cælari non juſſiſſet Gregorius, ſed *Patriarchæ*, ſi poſt adeptam Patriarchatus Dignitatem Tabulæ poſſeſſor evaſiſſet. Eam igitur forte dono acceperat a Joſepho II. Patriarcha, qui Florentiæ Anno 1439. obiit.

8. Alterum reſtat monendum; Tabulam hanc noſtram ex Gregorii teſtamento Beſſarioni ceſſiſſe anno 1459.; quo

Gre-

Gregorius Spiritum Deo reddidit (*a*); Beſſario autem Mantuæ degebat cum Pio II. Pontifice, qui ibi celebrem illum communem Chriſtianorum Conventum indixerat, in quo de bello contra Turcas gerendo deliberatum eſt.



C A-

(a) *Pius II. Commentarior. Lib. XI. pag.* 300.

CAPUT NONUM.

De Sacræ Tabulæ Donatione Sodalitio nostro a Cardinali Bessarione facta.

1. 
Uamquam autem in Mantuano Conventu anni 1459. Pio ipso II. Pontifice tribus circiter horis, totidemque post eum Cardinali Bessarione pro Sacro Collegio dicentibus (*a*), communi pæne omnium consensu actum fuerit, ut bellum adversus Turcas, superioribus annis Constantinopolitano Imperio potitos susciperetur, haud tamen Pontifex voti compos evasit, Italorum Principum, quos variis legationibus ille ad ineundam inter se pacem pertrahere curaverat, ab externis bellis ad domestica conversis studiis. Verum cum ad res Christianorum reparandas, Turcica feritate in summum discrimen adductas, Optimi Pontificis consilia potissimum essent collata; ut Italiæ bellicos tumultus ad tranquillitatem inclinare comperit, Sacrum Fœdus iterum anno 1463. instaurare, piamque expeditionem adversus Mahometanos urgere totis viribus cœpit, ad quam ipse, licet aliquantum gravis annis, nec multum firma valetudine, sed bene firmo animo fidens, proficisci decrevit.

Itaque Christianos Principes sub Crucis Vexillo in arma vocans, ad Venetorum Rempublicam, in cujus Clafse summam spem collocaverat, Bessarionem Cardinalem Apo-

Q stolicæ

(a) *Id. Lib. III. pag.* 82.

ſtolicæ Sedis Legatum a Latere miſit (*a*), qui ad Julii finem, vel ad ſequentis Auguſti initium (*b*) Venetias appulit, & aurea navi, quam Bucentaurum vocant, magno Civitatis favore a Principe, & Senatu exceptus eſt, præcipuiſque cumulatus honoribus (*c*). Venetorum enim Patriciorum numero adſcriptus (*d*), & more inſolito in ſupremis admiſſus Comitiis, aperta urna ſortem eluſit, aureo extracto globulo, officiumque electione implevit (*e*): quod nunquam cum aliis, niſi cum Principibus Viris, ut cum Henrico III., aliiſque id genus præſtitum fuiſſe edocemur.

2. Hujus igitur occaſione Legationis, dum Venetiis degeret S. R. E. Cardinalis Beſsario, cum Sodalitii Caritatis Oratorium devotionis ergo inviſerit, ita piis Confratrum operibus, religioſiſſimiſque moribus fuit illectus, ut a Magno Cuſtode, ceteriſque primariis Confratribus, ob Cardinalis Proſperi Columnæ (*f*) mortem, quæ eodem anno 1463. acciderat, ſummo animi dolore affectis, humillime ro-

---

(a) *Idem Lib. XII. pag.* 315.

(b) Hoc conjicimus partim ex Epiſtola Pii II. ad Carolum Burgundiæ Ducem, a Cl. Lucæ Archiepiſcopo Joanne Dominico Manſi edita in *Appendice ad Tom. III. Miſcell. Baluz. pag.* 93. partim vero ex Charta Donationis ſæpius laudata. Scripta eſt enim illa Tibure 6. Non. Jul. 1463. hæc vero die 29. Auguſti ejuſdem anni Venetiis, Beſſarione præſente. Nondum autem eum iter Venetias verſus cœpiſſe, cum Pii Epiſtola ſcripta fuit, colligitur ex his verbis: *Interea Cardinalem Tuſculanum Legatum de Latere ad Venetos mittimus.*

(c) *Pius II. l. c. pag.* 329.

(d) Colligitur ex S. C. a Cl. Apoſtolo Zeno edito in *Vita Sabellici pag.* XLVI.

(e) *Joann. Palat. Faſt. Ducal. pag.* 163.

(f) Sodalitati noſtræ nomen dederat Cardinalis Proſper Columna die 27. Menſis Januarii Ann. 1459. Mor. Ven., quo e Mantuano Conventu diſcedens Venetias inviſere voluit, ubi inter Venetos Patricios ipſe, duoque nepotes ejus cooptati fuerunt: quod ex antiquo Sodalitii Statutorum Codice diſcimus, vulgo *Mariegola d' Argento.*

rogatus, ut eorum albo adſcribi dignaretur, eorum precibus perhumaniter annuerit. Die itaque xxix. Auguſti ejuſdem anni Marcus a Coſta, Sodalitatis tunc Magnus Cuſtos, ejuſque Socii ad Monaſterium S. Georgii Majoris convenerunt, ubi Præclariſſimus Cardinalis hoſpitabatur (*a*), a quo benigniſſime, ut mos ejus erat, excepti, eum omni qua decuit reverentia, & devotione, ſervatis cæremoniis, & ſolemnitatibus, quæ ex Majorum Inſtitutis tunc ſervari ſolebant (*b*), albo Sodalitatis habitu indutum, lætitia geſtientes, & ovantes, in Confratrum numerum retulerunt.

3. Cæremonia peracta, ad Sacras Sodalitii Ædes, Magno Cuſtode, ceteriſque Sociis comitantibus, Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus novus Confrater acceſſit, ubi grati animi teſtimonium aliquod, & ſuæ fidei monumentum relinquere ſe velle profeſſus, Sacram Tabulam de qua agimus Sodalitati dono obtulit, ea tamen conditione, ut eam apud ſe retineret, dum viveret. Itaque ad proximum Canonicorum S. Mariæ Caritatis Monaſterium ſe recipiens, ibi Chartam Donationis, quæ dicitur inter vivos, Notarii manu confecit; quam hic primum ex Autographo ſumptam ſubjicimus, nonnullis ad eam illuſtrandam adnotationibus adjectis.

„ In Chriſti Nomine Amen. Anno ab ejuſdem Nativi-
„ tate Milleſimo Quadringenteſimo Sexageſimo tertio, die
„ vigeſimonono Auguſti Indict. xi. Venetiis in Monaſterio
„ Glorioſe Virginis Dei Genitricis Marie cognomento de
„ Caritate, preſentibus Reverendis in Chriſto Patribus Dominis

(*a*) *Vet. Sodal. Cod. vulgo* Libro di Teſtamenti.

(*b*) *Vet. Sodal. Cod. vulgo* Mariegola d'Argento *Cap. XIII. XIV.*

„ N. Archiepiſcopo Sipontino (*a*), M. Epiſcopo Andrienſi (*b*), J. Epi-

---

(*a*) *Nicolaus Perottus* hic fuit Nobilis Saxoferratenſis, electus Archiepiſcopus Sipontinus poſt Joannem Burgium Siculum, die 17. Octobris Ann. 1458. Obiit Ann. 1480. (*Ughell. Ital. Sacr. Tom.* VII. *Col.* 857. *Edit. Ven.*). Vir fuit plurimis editis Operibus celebris; Federico III. Imperatori a Conſiliis, & ab eodem Poetica Lauro Bononiæ decoratus; Eugenio IV. Nicolao V. Calliſto III. & Pio II. a Secretis (*Conf. cum Ughell. Apoſt. Zen. Diſſert. Voſſ. V.*). Satis notum eſt quod Jovius (*Elog. Viror. Litt. Illuſtr. pag.* 44.) de eo narrat, qui cum poſt Nicolai V. obitum in Conclavi Cardinalium pro novi Pontificis electione, Beſſarionis janitoris officio fungens, tres ſummæ auctoritatis Cardinales, qui hunc in cella abditum adierant, ut Pontificem ſalutarent, admittere noluerit, quod tum lucubranti parcendum eſſe diceret, illi Thiaram, ſibi vero Galerum eripuit. Hiſtoriam hanc, quam ſolitis commentis etiam exornavit Varillaſius (*Anecd. Flor. pag.* 174.), notatus eo nomine a Baylio (*Diction. Hiſt.*), quamque inter ceteros deinceps, ut patet in notis ad Trithemium, & alibi, pleno ore hauſit Fabricius, inſulſam Fabulam appellat Humfredus Hodius (*De Græcis Illuſtr. Ling. Gr. & Litter. Human. Inſtaurat. pag.* 146.). Nulla certe hac de re fit mentio neque in Pii II. Commentariis, neque in Beſſarionis Panegyrico a Platina edito; qui diverſam, eamque veroſimiliorem rationem reddunt, cur tunc Nicolao V. datus non fuerit ſucceſſor Beſſario. Utcumque tamen res ſit, Perottus certe ſemper Beſſarioni fuit apprime carus, quoad vixit, ejuſque vitam exaravit, ut ipſemet fatetur (*Cornucop. Col.* 1103.), nondum quidem in lucem editam, apud ejus tamen hæredes, Ludovico Jacobillo teſtante (*Biblioth. Umbr. pag.* 211.) ſervatam. Ipſe quoque Archiepiſcopus Perottus in Confratrum Sodalitii noſtri numerum cooptari voluit anno inſequenti ſeu 1464. poſtridie Non. Mart., ut ex antiquo ejuſdem Sodalitii Codice, vulgo *Ordinario* ad annum 1464. diſcimus.

(*b*) Quiſnam revera & cujuſnam præciſe loci fuerit hic Epiſcopus, prima nominis proprii littera M. tantum deſignatus, pro certo affirmare non auſim. Si fides Ughellio habenda eſſet (*l. c. Col.* 931.) hic *Martinus de Soto Majore* Hiſpanus, in Andrienſi Sede Rogerio de Atella ſucceſſor indicari videretur. Sed cum huic Auctori monumenta neceſſaria, & opportuna defuerint, unde Epiſcopos Andrienſes Tranenſis Provinciæ cum Andrenſibus Provinciæ Athenienſis immani errore commiſerit; imo vero cum Epiſcopus nomine *Martinus* ad Andrienſem Epiſcopatum die 18. Septembris An. 1471., ſive octo annis poſt hoc tempus, fuerit evectus (ut me non minus Clariſſimus, quam humaniſſimus Vir Comes Joſephus Garampius, Baſilicæ S. Petri Romæ Canonicus, itemque Pontificiis Archiviis in Vaticano, & in Caſtro S. Angeli Præfectus, nuper vero ad munus Pontificiarum Epiſtolarum ſecretis notis conſcriptarum meritiſſime evectus, ex Codicibus Conſiſtorialibus luculenter edocuit) ſupereſt ut aſſerere poſſimus hunc

Epi-

„ J. Episcopo Pergamensi (*a*) ac Sapientissimo , & Ge-
„ ne-


Episcopum fuisse Matthæum, cujus cognomen ignoratur, qui eodem Cl. Comite testante, die 3. Aprilis hujus Anni 1463. fuit electus Andrensis , quique adhuc die 6. Junii titulo Electi gaudebat . Utrum autem Matthæus iste fuerit Andri Episcopus in Græcia, an vero Andriæ in Italia, hoc mihi quidem hactenus incompertum est. Id solum adjungi a me potest hoc loco , si idem Matthæus fuit Episcopus Andriensis Italus , Episcopum prædicto anno huic donationi præsentem probabiliter fuisse Matthæum Grimanum, ut adpareat, Venetum, qui ab Anno 1460., ut constat ex laudatis Codd. Consistorialibus , Græcæ Sedis Andrensis fuerat electus Episcopus: quod verosimilius evadit, si animadvertamus, etiam sequentem Episcopum, & alios testes, qui cum Bessarione aderant, Venetos fuisse.

(*a*) Non alius hic fuit, quam Joannes Baroccius Nobilis Venetus, Eugenii IV., & Nicolai V. Pontificum Subdiaconus ; ab hoc autem Episcopus Bergomi electus post obitum Polydori Foscari Patricii Veneti Anno 1449. Patriarcha deinde Venetiarum An. 1465. ineunte creatus, repentina morte Feria Quarta Majoris Hebdomadæ anni sequentis correptus fuit (*Conf. cum Ughell. Cl. Flam. Corn. Dec. XIV. pag.* 150.). Quamvis autem *Pergamensis* Episcopus in Charta hac nostra vocetur, non tamen ea voce indicatur *Pergamus* Urbs Troadis, seu Mysiæ Majoris mediterranea, Sedes olim Episcopalis, unaque ex septem Ecclesiis, quarum mentio habetur Apocalypseos Cap. II. nunc pæne diruta , postquam fuit in Turcarum potestatem adducta . Novissimus enim Pergami Episcopus Græci Ritus memoratur a Michaele Le Quien (*Or. Christ. Tom. I. col. 716.*) *Arsenius*, sub Andronico Palæologo seniore; Ritus vero Latini unicus *Agnisius* Ord. Prædicatorum a Bonifacio VIII. Pergamo præfectus circa Annum 1297. (*Id. Tom. III. col. 959.*). *Pergamensis* itaque Episcopus vocatur Joannes , loco *Bergomensis*, servata ejus Sæculi consuetudine , jam inde ab eo tempore inducta , quo a Longobardis occupata Italia , depravatis , vitiatisque rebus omnibus , Latinæ quoque Ortographiæ ratio corrupta fuit . De hac consuetudine disseruit eruditissimus , præclarissimusque Joannes-Hieronymus Gradenigo, nunc Utinensis Archiepiscopus ante a nobis laudatus, in Discursu Italice edito *De Græco-Italica Litteratura pag.* 65., multoque plura congessit, eodem testante, Cl. Abbas Joannes Baptista Angelini in sua Bergomi Historia, quam licet absolutam , nondum tamen publici juris fecit. Hoc autem certo certius evincunt non modo numismata tria Medii Aevi Civitatis Bergomi a Cl. Ludovico Antonio Muratorio edita (*Dissert. XXVII. Antiquit. Med. Aev. Pag. 669. Edit. Mediol.* 1748.) sed cetera etiam ea omnia quæ cum plurimis aliarum Civitatum Italiæ, Regumque Gothorum , atque Longobardorum in suo Musæo servat alias merito laudatus Cl. Vir Joannes-Josephus Liruti. Omnia enim tum minimi, tum maximi moduli in aversa facie Civitatis turritæ supra montem positæ imaginem repræsentant cum hac inscriptione PGAMUM *Pergamum* ,
hinc

„ nerofo Viro Domino Hieronymo Vallareffo (*a*) quondam
„ D. Pauli Patricio Veneto : & Egregio Viro Francifco
„ Mal-

---

hinc atque illinc characteribus perpendiculari fcribendi forma difpofitis ; ut ex hoc numifmate conftat, nobis a memorato humaniffimo Viro tradito : quod ideo hic ære incifum exhibemus, quia in nonnullis diverfum ab iis, quæ refert Muratorius.



Quoniam vero dictorum omnium numifmatum antica pars Imperatoris προτομὴν, feu hermam repræfentat cum hoc exergo FEDERICVS IMPRT *Federicus Imperator*, hujus nominis probabiliter Primus, a quo Civitati Bergomi facultas cudendi numos conceffa fuit, ut ex ejufdem Diplomate anni 1156. ab Ughellio relato (*Tom. IV. col.* 464.) novimus, hinc pari probabilitate colligi poteft faltem ab eodem anno 1156. eam urbem *Pergamum* fuiffe vocatam. Ut autem confuetudinem hanc viguiffe conftet etiam Sæculo xv. quo Charta hæc noftra exarata fuit, addemus a Cl. Comite Jofepho Garampi, paulo ante a nobis meritiffime laudato, certiores nos redditos fuiffe, Ecclefiam Bergomi in Pontificiis Regeftis Sæc. xv. femper vocari *Pergamenfem*; ad rem autem noftram hæc legi in *Lib. Provif. Confiftor. Nicolai V. An. III. pag.* 38. *t.* „ Die Veneris Prid. Cal. Novemb. S. S. providit Ecclefiæ *Per-* „ *gamen.* de perfona dom. *Jobis Barozi* fue Sanctitatis Subdiaconi, vacan- „ ti per obitum ultimi Epifcopi extra Romanam Curiam. " Hinc corrigendus Ughellius (*loc. cit. col.* 483.) fcribens Joannem Baroccium Bergomatibus Præfulem datum fuiffe die 28. Decembris, & Guerrinus (*Ap. eumd. l. c.*) qui Polydorum Fofcari die 23. Julii An. 1450. obiiffe refert.

(*a*) Recte meritoque *Sapientiffimus*, & *Generofus Vir* hic vocatur *Hieronymus Vallareffo*. Ejus enim præcipue opera An. 1462. cum effet Triremis Præfectus, S. Georgii Caput ex Ægina Infula Venetias translatum eft Idibus Decembris, & in Ecclefia S. Georgii Majoris Decreto Excellentiffimi Senatus repofitum. Hujus autem rei Hiftoriam præter alios ipfe Hieronymus vulgari Venetorum illius Sæculi ftylo confcripfit, quam Cl. Senator Flaminius Cornelius, addita etiam Latina verfione edidit (*Eccl. Ven. Dec. XI. Par. II. pag.* 183. *& feq.*)

„ Malumbra (*a*) cive Veneto , quondam S. Matthei, &
„ aliis quampluribus teſtibus ad premiſſa vocatis , habitis,
„ & rogatis . Cum Reverendiſſimus in Chriſto Pater , &
„ D. Excellentiſſimus D. Beſſario (*b*) Miſeratione Divina
„ Epiſcopus Tuſculanus (*c*), Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ
„ Car-

(*a*) De hoc *Franciſco* nulla adhuc nobis in ſcriptis, ac monumentis ejus temporis notitia occurrit . Hoc tamen certo affirmare licet , ejus Familiam, quæ in ditione Cremonenſi florebat , ineunte Sæculo XIV , aut non multo ſecus, Venetias fuiſſe translatam, ubi *Riccardus Malumbra*, celeberrimus ea tempeſtate Jurisconſultus , fuit Venetæ Reipublicæ a Conſiliis ; ideoque & ipſe, & ejus poſteri in perpetuum Civitatis Venetæ honore donati fuerunt: inter quos nonnulli, ut laudatus *Riccardus* , & *Nicolaus* Sæculo XIV. *Thomas*, & *Ludovicus* Sæculo XV. *Bartholomæus*, & *Joannes* Sæculo XVI ; aliique Litteris , & Artibus inclaruerunt. De quibus, præter ea , quæ Jacobus Facciolatus, Marcus Fuſcarenus, Joannes de Auguſtinis, Juſtus Fontaninus, & Apoſtolus Zenus memoriæ tradiderunt, nonnulla etiam legi poſſunt in MS. Codice Genealogico Venetorum Civium, quem mihi legendum liberaliter commodavit humaniſſimus , atque excultiſſimus Vir Sodalitatis noſtræ Confrater Joannes Zonus , Excellentiſſimi Veneti Senatus a Secretis , apud quem adſervatur.

(*b*) Fuit Beſſario Patria Trapezuntius , ut præter Chalcondyllam (*Hiſt. de Reb. Turcic. Lib. VI. pag.* 155. *Edit. Pariſ.*) , Platinam in laudato Beſſarionis Panegyrico, & Perottum (*Cornucop. col.* 777.), ipſemet teſtatur, qui Libros duos de laudibus Patriæ ſuæ Trapezuntis, & Iſthmi ſcripſit. Natus Anno Ær. Chr. 1395, valde juvenis Ordini Monachorum S. Baſilii ſe ſe addixit, nomenque a S. Beſſarione Patriæ Parente, ac Patrono, cujus vitam Græco ſermone exaravit, eum accepiſſe Platina litteris commendavit. Ante Monachatum vero Baſilium fuiſſe appellatum, in Vita ipſius apud Ciacconium (*Vit. Pontif. & Cardin. Tom. II. pag.* 905. *Edit.* 1677.) affirmatur.

(*c*) Antequam Conſtantinopoli diſcederet Beſſario, ad Concilium Ferrariæ primum, deinde Florentiæ celebratum, Nicææ Archiepiſcopus renuntiatus eſt Anno circiter 1436; non vero 1438, ut habet Henricus VVarton in Appendice ad Guilielmi Cave Bibliothecam Eccleſiaſticam. Etenim *Archiepiſcopi* (ita ſcribit Sguropulus (*Hiſt. Conc. Flor. Sect.* III. *cap.* 15. *pag.* 59.) *eo tempore ordinati ſunt Marcus Epheſi, Dionyſius Sardium, & Beſſario Nicææ, ut tamquam anteſignani Synodo intereſſent*. Hinc vulgo Beſſario *Cardinalis Nicænus* audit. A Nicolao V. An. 1449. III. Non. Mart. Epiſcopus Sabinenſis creatus eſt (*Lib. Proviſ. Nicol. V. pag.* 35.): pauciſque poſt diebus, hoc eſt IX. Cal. Maji ejuſdem anni, ad Eccleſiam Tuſculanam translatus (*Ughell. Tom. I. pag.* 246. *ex Lib. Obligat.*) ; cui tamen ſolum præfuit ad annum uſque 1468. in quo a Paulo II , ut infra probabimus, iterum Sabinenſi Eccleſiæ datus fuit Epiſcopus.

„ Cardinalis (*a*), Patriarcha Conſtantinopolitanus (*b*), & „ ad Illuſtriſſimum Ducale Dominium Venetiarum &c. Se- „ dis Apoſtolicæ Legatus de Latere digniſſimus, pro nego „ tiis maxime honorem Fidei Catholicæ concernentibus „ Venetias veniſſet : & Egregius Guardianus Venerandæ „ & Devotiſſimæ Scholæ Caritatis cum Sociis, & Officia- „ libus, & plerifque primariis ejuſdem Congregationis re- „ verenter requiſiſſet eumdem Reverendiſſimum D. Cardi- „ nalem, ut ad honorem, & dignificationem ſæpedictæ Scho- „ la-

---

(*a*) Ab Eugenio IV. Cardinalis creatus fuit Tit. SS. duodecim Apoſtolorum die 18. Decembris An. 1439.; ut præter Ciacconium (*loc. cit.*) refert Auctor anonymus Vitæ Eugenii IV. a Cl. Lucæ Archiepiſcopo Joanne Dominico Manſi edita (*Tom. I. Miſcell. Baluzii pag.* 329.). Tunc autem Beſſarionem abſentem fuiſſe certo certius eſt. Græcorum enim Imperator cum ceteris Græcis, poſt Decretum Unionis in Concilio Florentino ſubſcriptione confirmatum, Florentia diſceſſerunt die 26. Auguſti 1439. (*Act. Conc. Flor. ab Hor. Juſtin. Coll. Par. II. col.* 1187. *Tom. XIII. Concil. Labb.*), ad Patriam redituri. Quamvis autem Phranza (*Lib. II. cap.* 17.) Beſsarionem poſt Concilium Conſtantinopolim rediiſse neget, majorem tamen fidem meretur Platina, qui in laudato Panegyrico illum licet abſentem in Cardinalium numerum cooptatum fuiſse ſcribit. Platinæ autem teſtimonio ipſe Beſsario certitudinem addit, reditus ſui ad Patriam diſertis verbis mentionem faciens in Epiſtola ad Alexium Laſcarem ab Horatio Juſtiniano edita (*Loc. cit. Par. III. col.* 1244.) in qua hæc leguntur: *Demum poſt celebratum Sacrum Concilium, & noſtrum ad Urbem Conſtantinopolitanam reditum &c.*

(*b*) Conſtantinopolitanus Patriarcha renuntiatus fuit Beſsario, itidemque Eccleſiæ Chalcidenſi præfectus Cal. Apr. An. 1463, ut ex Lib. IV. Obligat. Sacr. Colleg. pag. 52, datis ad me humaniſſimis litteris, teſtatur ſæpe laudatus Comes Joſephus Garampius. Hinc errare diſcimus Phranzam (*Lib. II. cap.* 17.), qui Beſsarionem in Conſtantinopolitano Patriarchatu ſucceſsorem datum fuiſse affirmat Joſepho, Florentiæ mortuo tempore Concilii, nocte quæ ſubſequuta eſt diem 20. Junii 1439. (*Act. Conc. Flor. cit. Par. II. col.* 1147.), itemque alucinatus eſt Bzovius, qui ad An. 1463, Nicolao V. in Petri Cathedra ſedente, hoc retulit. Legi meretur de hac re Allatius (*De Eccl. Occid. & Orient. Conſ. Lib. III. cap.* 3. §. 1.). Hanc porro adeptus eſt dignitatem Beſsario poſt mortem Cardinalis Iſidori Theſsalonicenſis, Archiepiſcopi Ruthenorum, qui Gregorio Mammæ ſucceſserat (*Pius II. Comment. Lib. XI. pag.* 300.) Hinc corrigendus Ciacconius, qui Cardinalem Ruthenum anno 1464. obiiſse ſcribit,

„ lastice Congregationis , & consolationem totius fraterne
„ Societatis dignaretur in ipsam Scholam ingredi , & nu-
„ mero Fratrum ascribi , prefatus R. Dominus Cardinalis
„ pro innata sibi humanitate , & in res religiosas , & sa-
„ cras devotione, admissis requisitionibus , & precibus an-
„ tedictis facillime annuit, & animo letissimo ipsi Congre-
„ gationi dedicari , & annumerari voluit cum singulari
„ omnium consolatione , servatis ceremoniis , & solemni-
„ tatibus , que celebrari , servarique debent ex formula, &
„ institutis sepedicte Congregationis , & Schole . Post hec
„ prelibatus (sic) Reverendissimus Dominus Cardinalis
„ jam ut premittitur aggregatus , & rite ascriptus in nu-
„ mero Fraternitatis predicte , dignatus est personaliter vi-
„ sitare domum ipsius Schole , ubi exceptus fuit cum ma-
„ gna letitia, & plausu omnium Fratrum ibi presentium ,
„ & honorifice, atque cum veneratione , ut decuit , eum
„ excipientium. Visitata item Ecclesia, & exhibita benedi-
„ ctione cum Indulgentia unius triennii concessa presenti-
„ bus in forma Ecclesie , Reverendissima D. sua post sua-
„ vissimam orationem , & verba Caritatis, & affectus ple-
„ na , dixit apud se reperiri Tabellam ligneam , in cujus
„ medio est sculptura in figuram Crucis, in qua vacuitate
„ inest Crux aurea subtiliter laborata. Inque lateribus ejus-
„ dem Crucis, in ipsa videlicet Tabula, in duobus quidem
„ superioribus de vero Ligno Sancte Crucis duo frusta; in
„ inferioribus vero lateribus duo frusta Tunice Christi, hoc
„ est de Sacco: Tabulamque ipsam superius habere pro co-
„ pertorium aliam Tabellam depictam, & argento deaura-
„ to aliqualiter ornatam : quod pretiosissimum , saluberri-
„ mumque depositum , & locatum in Urbe Imperatoria

 „ Con-

„ Constantinopolitana Christianis regnantibus , per manus
„ Imperatorum, atque Patriarcharum , devotissime tandem
„ devenerat in custodiam olim clare memorie Gregorii
„ (*a*) Miseratione Divina dignissimi Patriarche Constanti-
„ nopolitani , qui ob scandala , & pertinaciam Decretum
„ Unionis Oecumenici Florentini Concilii detrectantium ,
„ piissimus ipse Pater, Sede sua relicta, Romam venit, ubi
„ post sue Sanctitatis, & Fidei clarissima testimonia natu-
„ re concessit; & integerrimum , ac innocentissimum spi-
„ ritum Deo reddidit. Ante obitum suum nominatim, at-
„ que affectuose predictam Sanctissimam gemmam Vene-
„ rande Dominice Crucis , & Tunice ipsi Reverendissimo
„ D. Cardinali, quem unice dilexerat, & paterno affectu,
„ & Caritate fuerat prosecutus, absenti tunc , & in Man-
„ tuano Conventu agenti legavit . Quod quidem legatum
„ optimo, & pulcherrimo jure, summa cum devotione he-
„ reditavit, suscepit, & possidet , ita ut in hac vita nihil
„ habeat, vel habere possit pretiosius, nihil sanctius, nihil
„ de quo magis animi desiderium , & devotionem explere
„ possit. Addidit his , sepe cogitasse , cui post obitum di-
„ gne tantum munus, tam celeste donum relinqueret; ve-
„ nisse nunc sibi in mentem, ejusmodi legatum nullibi pos-
„ se tutius, honorificentius , & preclarius locari, quam in
„ hac felicissima , & amplissima , ac Christianissima Civi-
„ tate Venetiarum: ejusque Civitatis ad nullum alium po-
„ tissimum locum , quam apud venerabilem , & devotissi-
„ mam Congregationem Caritatis, cui se se ascriptum, de-
„ dicatumque voluit. Quamobrem omnibus via, jure, mo-
„ do

(*a*) De hoc Gregorio Patriarcha Constantinopolitano egimus Cap. præcedenti.

„ do, & forma quibus melius, & validius, atque efficacius potuit, & poteſt per ſe, & ſucceſſores ſuos ſponte, „ & ex certa ſcientia, nomine, & titulo pure, & mere, „ & irrevocabilis donationis, que dicitur inter vivos, & „ non cauſa mortis, & que nulla ingratitudine, vel offenſa, magna, vel parva revocari poſſit, dictam Tabellam „ cum Signo Crucis, cum particulis Sanctiſsimi Ligni, & „ Venerandiſſime Tunice, & cum ſuo ornatu in ſe, & „ circa ſe antedicto Guardiano, Officialibus, atque Sociis „ ibi preſentibus, & pro ſe, & ſucceſſoribus ſuis, vice, „ & nomine Schole, & Fraternitatis ſepedicte acceptantibus, & recipientibus dedit, donavit, & reſervato dumtaxat ſibi uſu pro toto tempore vite ſue ceſſit, & transtulit cum plenitudine libertatis, & poteſtatis dominium, „ & proprietatem ex nunc; uſum vero poſt mortem ejus „ ſtatim, & immediate apprehendendi, habendi, tenendi, „ & in perpetuum poſſidendi, ſine ulla alicujus contradictione, moleſtia, aut inquietudine; & ita Dominatio „ Sua Reverendiſſima mihi Notario infraſcripto ibi preſenti juſſit, atque impoſuit, ut de his omnibus publicum „ conficerem inſtrumentum, & ad firmitatem rei, & robur perpetuum predictis Guardiano, Officialibus, atque „ Sociis, nominibus, quibus ſupra, unum, vel plura, „ quemadmodum requiſierint cum clauſulis, & ſolemnitatibus opportunis traderem, atque legaliter exhiberem. „ Promiſit quoque ſolemni ſtipulatione premiſſa, preſentem donationem cum omnibus, & ſingulis in ea contentis per ſe, & ſucceſſores ſuos firmam, ratam, & rogatam habere, & tenere, & ei non contrafacere, vel „ venire de jure, vel de facto per ſe, vel alium aliqua

 „ ratio-

„ ratione, vel causa, sub obligatione, & ipotheca omnium
„ suorum bonorum mobilium, & immobilium presentium
„ & futurorum.

„ Ego Ulixes de Aliotis (*a*) Filius q. Domini Gratiadei
„ Venetiarum Civis, publicus Imperiali auctoritate Nota-
„ rius, Judexque ordinarius, & Illustrissimi Ducalis Domi-
„ nii Venetiarum Secretarius, ac Comes Palatinus predi-
„ ctis omnibus, & singulis presens fui, eaque rogatus scri-
„ bere, & publicare, aliis negotiis occupatus per infra-
„ scriptum Bartholomeum de Brandis Notarium Publicum
„ in hanc publicam formam ex actis meis redigi, & scri-
„ bi feci, & ad evidentiam, & majorem cautelam me
„ subscripsi, ac signum meum apposui consuetum.


„ Ego Bartholomeus de Brandis Gasparis filius, publicus
„ Imperiali auctoritate Notarius predicta omnia, & sin-
„ gula ex actis, & imbreviaturis prefati Domini Ulixis
„ de Aliotis traxi, & quia erat aliis negotiis occupatus,
„ ejus jussu in hanc publicam formam scripsi, & recolle-
„ gi, & ad evidentiam me subscripsi, & signum meum
„ apposui consuetum. "

C A-

(*a*) Erat tunc Ulixes de Aliotis ex numero Confratrum Sodalitatis nostræ, & Anno 1461. Magni Custodis munere functus fuerat. Ejus opera eo anno quo Sodalitatem rexit, superioris aulæ majoris laqueare supra quadringentis quinquaginta Seraphinorum cælatis imaginibus auro obductis ornatum fuit, quornm singuli octo alis instructi sunt: in quo licet ingenio magis videatur indulsisse suo, ut proprio cognomini alluderet, quam eorum exhibita in Sacris Codicibus exempla fuisse imitatus, in quibus vel quatuor, ut apud Ezechielem (*Cap. I. vv. 6. 11.*) vel sex ad summum alæ, ut apud Isaiam (*Cap. VI. v. 2.*) & Joannem (*Apocal. IV. v. 8.*) illis tribuuntur; excusari tamen aliqua ratione posset auctoritate Hieronymi, qui singulis Isaiæ Seraphim duodenas usque alas in nonnullis Codicibus aptari animadvertit (*Epist. XVIII. al. 142. 143. ad Damasum*): quod etiam in antiquis musivis operibus observare licet, quibus Ducalis Basilicæ Sacellum illud ornatur, quod ex magnifico Regenerationis Fonte ibidem exstructo, Baptisterii Sacellum nuncupatum fuit.

CAPUT DECIMUM.

De Tabulæ noſtræ translatione e Bononia Venetias.

I. 
Egationis exitus ad Venetorum Rempublicam miſſæ, de qua ſuperiori capite mentionem fecimus, æquis Optimi Pontificis poſtulationibus, ac votis reſpondit. Pietate namque Venetorum Patrum, & Beſſarionis prudentia omnia brevi confecta, indictumque Turcis aperte bellum, lege pro Sacro Fœdere lata die XIX. Octobris, decretiſque ad Templa ſupplicationibus. Quo audito Pontificem, apud quem tunc Reipublicæ nomine Aloyſius Fuſcarenus (*a*) Oratorem agebat, in hæc verba prorupiſſe narrat Petrus Juſtinianus (*b*): *Benedicti ſint Filii noſtri Veneti, benedicta ſit eorum tam pia, tam ſancta intentio, benedicat Deus Chriſtianiſſimam Rempublicam, & Senatum eorum adjuvet; eiſque honorificentiſſime adverſus Turcas præſtet victoriam.*

Pius itaque XIV. Cal. Jul. anni ſequentis 1464. Roma Anconam ſe contulit, ut Venetos exſpectaret (*c*); Beſſario

(a) Cum *Aloyſio Fuſcareno* magnæ doctrinæ, atque eruditionis viro, occaſione plurium illius ad Romanum Pontificem Legationum, arctiſsimam Beſſario amicitiam inierat, ut probant nonnullæ illius ad hunc Epiſtolæ, quæ leguntur in Codice membranaceo illius Sæculi, in Bibliotheca q. Sereniſsimi Ducis Marci Fuſcareni ſervato, trecentas, & amplius Aloyſii nunquam editas epiſtolas complectente. Cum autem Beſſario anno 1461. e Germanica Legatione rediit, non modo omni honoris genere, Reipublicæ nomine, illum excepit Fuſcarenus, qui tunc Utini degebat, ſed nullum erga eum amantiſsimi hominis officium prætermiſit. (*Pallad. Iſtor. del Friuli. Par. II. Lib. I. pag.* 39.)

(b) *Rer. Venetar. Lib. VIII.*

(c) *Cardinal. Papienſ. Commentar. Lib. I. pag.* 354.

rio vero publice Venetiis in Platea D. Marci Sacrum Fœdus (Cruciatam vocant) indixit (*a*), & triremi propriis impensis instructa, post xiv. Cal. Augusti (*b*) e portu solvit cum Venetorum Classe, quæ Ducem Christophorum Maurum vehebat, atque Anconam pridie Idus ejusdem mensis pervenit (*c*). Verum Deo sic disponente, cujus incomprehensibilia sunt judicia, & investigabiles viæ, Pontificis, ætate tantum devexa, ac parum præcipiti onerati, sed jam febre, ac doloribus fatigati (erat enim delicato corpore, & ferventis Æstatis injuriis exposito) perurgens languor usque adeo invaluit, ut die sequenti spiritum Deo reddiderit: omnibus intempestivum ejus obitum deflentibus, quo non obscure intelligeretur conatus tantos interruptos esse, spemque exspectati boni magnopere diminutam (*d*). Hæc vero omnia quæ enarravimus, itemque prædicti Pii II. verba satis superque esse possunt ad propulsandam iniquissimam calumniam, Venetis ab Aloysio Eliano impositam, qua Venetorum tarditatem, tamquam callide excogitatam, Pontifici causam mortis exstitisse audacter asseruit.

Sed ad rem nostram redeamus. Itaque justis defuncto Pontifici Anconæ persolutis, Venetorum Dux cum sua Classe inde solvens, Venetias reversus est, Cardinales autem Romam, ut novum Populo Dei Pastorem eligerent, qui & prosequeretur incœptum, & Christianos Principes, maxime-

---

(a) *Ciaccon. Vit. Pont. Tom. II. pag.* 906.

(b) Colligitur ex duobus Documentis ad ipsum Bessarionem spectantibus Venetiis adhuc degentem die 19. Julii Anni 1464. a Cl. Flaminio Cornelio editis (*Eccl. Ven. Dec. I. pagg.* 241. 243.)

(c) *Papiens. l. c. pag.* 358.

(d) *Id. pag.* 361.

ximeque Venetos, Ecclesiæ stimulis, atque incitamentis bellum ingressos, collatis opibus adjuvaret (*a*): quod quidem licet ex sententia cesserit, Petro Tituli S. Marci Cardinali ex Nobili Barborum Veneta Familia, qui Pauli II. nomen assumpsit, in demortui Pontificis locum suffecto; cujus præcipuum fuit studium parandæ Classis in Turcas, quæ ad redimendam Constantinopolim duceretur (*b*); dissidiis tamen Catholicorum Principum factum est, ut cum solum circa finem anni 1470., & initium sequentis Sacrum Fœdus inter Italiæ Principes instauratum fuerit, idem paulo post repentina Pauli morte, quæ die 25. Julii 1471. accidit, magno Reipublicæ Christianæ detrimento solveretur.

2. Cum igitur Sixtus IV. qui Paulo II. datus fuit successor, initio sui Pontificatus plura ad Sacram expeditionem disposita, atque parata invenerit, prima ipsi cura fuit de Mahomete Turcarum Tyranno a Christianorum finibus propulsando. Quamobrem Legatos ad omnes Principes Nationesque Christianas mittendos esse ratus, qui intestinis sublatis odiis, sedatisque discordiis, illorum animos ad Christianæ Fidei defensionem excitarent, Marco Barbo inter alios Tituli S. Marci Cardinali Germanicam, Roderico Borgiæ (qui deinceps novo Alexandri VI. nomine assumpto Ecclesiam Universalem gubernandam suscepit) Hispanicam, Bessarioni vero nostro Gallicam Legationem commisit.

Diu hæsit Bessario, utrum ipsi per ætatem nimis ingravescentem, minusque firmam valetudinem longum adeo, mole-

(a) *Id. Ibid.*
(b) *Id. Lib. IV. pag.* 396.

molestumque iter aggredi liceret ; jamque susceptam primum Legationem deposuerat (*a*) , cum acceptis ab ipso Gallorum Rege humanissimis litteris , quibus & animi gaudium testabatur , quo eum sibi Legatum designatum fuisse intellexerat, & hortabatur, ut suum ab Urbe discessum urgeret ; ipsam quoque propriæ salutis curam communi Christianæ Reipublicæ bono posthabitam voluit , atque in Galliam proficisci decrevit .

3. Quamobrem animo secum reputans cum itineris longitudinem, tum incertum humanæ vitæ exitum, cujus proximitatem animo fere divinante præsensit, veritus ne Sacræ illi Tabulæ , quam superioribus annis Sodalitati nostræ donatione inter vivos fuerat elargitus, vel detrimenti aliquid, vel periculi immineret , eam apud se retinere amplius noluit , eamdemque per tres Nuntios ad hoc destinatos , datis die XII. Maji Anni 1472. ad Caritatis Sodales Litteris, Venetias mittere tutius judicavit . Res ex ipsis Cardinalis Epistolis patet , quas cum aliis a Caritatis Sodalibus ad Bessarionem missis hic subjicimus ex vetusto Sodalitatis Codice (*b*) , atque adeo a pluribus erroribus expurgatas , qui partim Amanuensium, partim vero Typographi negligentia irrepserunt apud Cl. Senatorem Flaminium Cornelium, qui eas primus edidit (*c*).

„ Bessario Cardinalis Nicænus Fratribus Domus Caritatis „ Salutem.

„ Postquam in Fraternitatem Vestram sum assumptus , „ & initiatus ista Sanctissima Religione , optavi vehemen- „ ter

(a) *Id. Epist.* 431.
(b) *Codex*, *vulgo* Libro di Testamenti.
(c) *Eccl. Ven. Dec. VII. pag.* 196. *& seqq*

„ ter pignus aliquod, & monumentum mee fidei relinque-
„ re; quo & divine pietati ſatisfacerem, & animo erga vos
„ meo. Quom igitur Crux aurea excellenti artificio elabo-
„ rata, in qua veri Ligni particula Chriſtiane Crucis, &
„ ejus Divine Veſtis nonnihil repoſitum eſt, mihi delata
„ eſſet, ſtatui eam donandam Domui iſti. Nam opus eſt,
„ cum forma ipſa Religioni conſentaneum, tum ornamen-
„ to tante Domus, & Religionis amplitudine dignum.
„ Donavi eam ſuperioribus annis Donatione inter vivos,
„ ſed apud me hactenus retinere volui. In Galliam vero
„ proficiſcens Legatus Reipublice Criſtiane cauſa, propono
„ mihi & itineris longitudinem, & incertum exitum hu-
„ mane vite, tutiuſque judico eam Crucem vobis relinque-
„ re. Ornandam curavi argento quo eſt concluſa: & ad-
„ hibendam haſtam, ut ad geſtationem in ſupplicationibus
„ ſit accomodata; eamque miſi vobis, ut in Divine Maje-
„ ſtatis honorem, Caritatis inditium, Fraternitatis noſtre
„ argumentum utamini, & exhibeatis populo venerandam
„ quom aut locus, aut tempus poſtulabit. Jacobus Parleo (*a*).

S „ Gual-

(*a*) *Jacobum Parleonem* a Secretis Cardinalis Beſſarionis fuiſſe, nonnullaſque illius Epiſtolas in Vaticana Bibliotheca ſervari, ex quibus hoc colligitur, nuperrime monuit me per litteras nunquam ſatis laudandus Cl. Comes Joſephus Garampius. Fuit ille Patria non Romanus, ut de Petro (ejus ne patruele, an avunculo ignoro) ſcribit Cl. Marcus Fuſcarenus (*Lib. III. de Veneta Litteratura pag.* 231. *Not.* 10.), ſed Ariminenſis. Nam præterquamquod Franciſcus Philelphus Parleonum amiciſſimus (*Epiſtol. Lib.X.pag.*75.*edit. Ven.* 1502.) memorat Sigiſmundum Malateſtam tamquam Parleonum Principem; expreſſe hoc etiam eruitur cum ex ſepulcrali Petri Inſcriptione a P. Joanne de Auguſtinis relata in Venetis Scriptoribus (*Tom. II. pag.* 83.); tum ex Hieronymi II. Ramnuſii, Pauli II. filii, Genealogica Ramnuſiorum Hiſtoria, cuius autographum exemplar inter Cl. Apoſtoli Zeni Codices ſervatur num. XV. Narrat enim *Paulum Ramnuſium* ſeniorem, cum aliis doctis ejus concivibus,

„ Gualterius Justinianus (*a*), Jacobus Sceba (*b*) nostrarum
rerum

---

vibus, *Barthol o nempe Soriano* Doctore, *Jacobo*, & *Petro Parleonibus* Græcæ, Latinæque Linguæ peritissimis, *Angelo Pacio* Jurisconsulto, & *Joanne Aurelio Augurello*, exquisitæ virtutis viro, anno 1458. VIII. Id. Majas Venetias concessisse, ibique, præter duos postremos, sedem reliquos fixisse, atque inter Venetos Cives ob eorum summam doctrinam fuisse cooptatos.

Qui autem evenerit, ut Jacobus noster in Bessarionis aulam commigrarit, sic liceat nobis conjicere. Anno 1458. Petrus Parleo, testante laudato Philelpho (*Epistolar. lib. XIV. pag.* 99.) Venetis Patriciis adolescentibus (verius Ducalis Cancellariæ Candidatis, ut constat ex Primo Regestorum Volumine apud Amplissimos Rei Litterariæ Triumviros pag. 33. t.) Eloquentiæ præceptis instituendis datus fuit Magister. Cum autem ex laudata sepulcrali Inscriptione doceamur eum anno 1463., quo Bessario Venetiis Pontificius Legatus degebat, e vivis fuisse sublatum, atque in ejus locum Philippus Ariminensis suffectus fuerit, ut ex eodem Regestorum Volumine discimus, satis mihi probabile est, Jacobum, ut animi mœrorem demeret, quo partim ob Petri consanguinei mortem, partim vero ob publicum illud docendi munus, quod ipse forte expetebat, & alteri oblatum est, premebatur, Venetias relinquendi consilium cœpisse, atque opportunam nactum occasionem, facilem habuisse apud Bessarionem aditum, qui Litteratos Viros quamplurimos in aula sua alebat, ac fovebat. Neque a vero valde abesse crediderim, Jacobum nostrum celebris Nicolai Sagundini, id temporis Excelsi Decemvirum Consilii a Secretis, commendatione gratum Bessarioni evasisse. Nam & Bessarionis, & Parleonum amicissimum fuisse Sagundinum probant Epistolæ duæ elegantissimæ, typis editæ Tomo II. *Opusculorum Miscellaneorum*, altera Sagundini ad Bessarionem, altera Petri Parleonis ad Sagundinum. Utcumque sese res habeat, Jacobus certe noster post Cardinalis mortem Venetiis iterum sedem fixit, & Sodalitatis nostræ, cui jam nomen dederat, Magnus Custos renuntiatus fuit anno 1487.: ut ex vetusto Sodalitii Statutorum Codice alias laudato, & ex alio vulgo *Ordinario* ad dictum annum edocemur, ubi etiam Doctoris titulo decoratur.

(*a*) De hoc *Gualterio Justiniano* inutili plane labore diu quæsivi. Hoc unum pro certo affirmare posse arbitror, eum e Clarissima Justinianorum Patricia Familia non prodiisse, ut & ex Genealogico hujus Familiæ Stemmate, in quo ejus nomen non legitur, satis adparet, & e provincia sibi cum aliis duobus a Cardinali nostro demandata colligi potest. Ac facile addúcor ut credam, eum aliqua propinquitate fuisse cum illo Andreolo Justiniano conjunctum, qui hoc itidem tempore florebat, & ad quem Poggius Epistolam dedit, quam inter alias hujus Auctoris habemus impressam. Ceterum inter domesticos, & familiares Bessarionis nonnulli etiam ex Venetis Patriciis numerantur, inter quos *Eugenius Maurocenus*, Cretensis Canonicus, qui anno 1466. in Tarvisinum Episcopum designandus a Senatu fuit nominatus: quod discimus ex *Notatorio XVIII.* Ducalis Cancellariæ, ubi hæc leguntur: *Ven. D. Eugenius Mauroceno Canonicus Cretensis*,

„ rerum Procuratores vobis eam afferent noſtro nomine , „ quam ſervandam , & diligenter cuſtodiendam curetis , „ oramus , in ſempiternum Domus Caritatis, & Fraterni- „ tatis

S 2

ſis, *Doctor in Jure Canonico*, *qui eſt in Domo Reverendiſs. D. Cardinalis Nicæni*. Porro cum ex Juſtinianis nonnulli ex Creta ortum habuerint, præcipue labente Sæculo XV. (ut patet ex Philippica II. Ciceronis, & ex Lib. VIII. Æneidos Virgilii a Joanne Juſtiniano Cretenſi Italice verſis , aliiſque ejus Operibus Sæculo XVI. Venetiis editis) & cum prædictus Eugenius Maurocenus, qui erat inter familiares Beſsarionis , Cretæ Canonicus exſtiterit , hinc haud abſurde colligi poſset , etiam Gualterium noſtrum fuiſſe Cretenſem.

(*b*) *Jacobus Sceba* natione Cyprius, Vir doctus, & gravis, erat tunc Cardinalis Beſsarionis Magiſter Domus, & intimus Cubicularius. Hæc nobis innoteſcunt ex quadam Epiſtola Joannis Hinderbachii Tridentini Epiſcopi die 13. Septembris 1476. data ad Paulum Maurocenum , inſigne illud Venetæ Nobilitatis ornamentum, cujus hortatu Beſsario illi amiciſſimus Bibliothecam ſuam Reipublicæ largitus eſt. Hæc igitur ad rem noſtram ex laudata Epiſtola edocemur, cujus fragmenta nonnulla ex Autographo edidit Cl. P. Benedictus Bonelli in Italica Diſsertatione Apologetica de B. Simeonis Pueri Tridentini Martyrio Cap. IV. pag. 218 ; cujuſque partem hic exſcriptam ſubjicio: „ Dum hæc ſcriberemus ſupervenit unus ex Canonicis notabilis Vir Do- „ minus *Jacobus Sceba de Cypro*, Vir doctus, & gravis, olim Reverendiſsimi „ Domini Cardinalis Nicæni Magiſter Domus, & intimus Servitor, quem Ma- „ gnificentiam tuam optime noſse reor, qui viſo Opere tuo contra perfidiam „ Judæorum confecto, retulit nobis novum de tua Magnificentia, quod ſperabat „ te proxime ad Eccleſiam Nicoſienſem, Metropolim in præfata Patria ſua in „ Archiepiſcopum promovendum.“

Gymnaſii Patavini anno 1434. Scebam noſtrum fuiſse primo Prorectorem affirmat laudatus Bonellus (*Monum. Eccl. Trident. Vol. III. Par. II. pag. 289.*) Porro Cl. Jacobus Facciolatus (*Faſt. Gymn. Pat. Tom. I. Par. II. pag.* 80.) eodem anno 1434. *Jacobum Cyprium* electum fuiſse Rectorem tradit, ſplendide Magiſtratum geſſiſse, & plurimum ſibi ſumpſiſse auctoritatis; imo eumdem Jacobum de Medicina extra ordinem eodem anno diſputaſse refert (*pag.* 125.). Poſt Beſsarionis mortem a Papa Sixto IV. anno 1473. Tridentinus Canonicus reſignatus fuit, laudato Bonello ibidem teſtante, qui etiam addit illum de cultu B. Simeonis Pueri Tridentini apud Venetos benemeritum haberi . Hoc autem in ejuſdem argumenti Diſsertatione etiam a Cl. Senatore Flaminio Cornelio edita obſervatum eſt, qui Tridento a laudato Jacobo ad Venetos S. Mariæ Servorum Fratres dono miſsas fuiſse narrat Reliquias veſtium, quibus demortuum B. Simeonis Corpus indutum fuerat.

Huic

„ tatis nostræ argumentum, cui hoc opus dicavi (*a*) pro mea

Huic Jacobo Sodalitatis nostræ Confratres in grati animi testimonium sex ulnas exquisiti panni rosæ exsiccatæ colorem referentis obtulerunt, ut ex Codice, vulgo *Quaderno H* pag. 161. colligimus; ejusque opera iidem nonnullas Indulgentiarum Bullas a Sixto IV. anno 1474. obtinuerunt (*Ibid. pag.* 174.)

(*a*) Posticæ Tabulæ nostræ faciei argentea lamina obductæ alteram minorem laminam pariter argenteam aptandam curavit Bessario, in eaque hanc cælari jussit Inscriptionem, qua *hoc opus* Sodalitio Caritatis *dicavit*, præclarissimi muneris perenne argumentum futuram.

BESSARIO. EPISCOPVS. SABIN.
CARDINALIS. NICÆNVS. PATRIAR-
CHA. CONSTANTINOPOLITANVS
BEATÆ. VIRGINI
MARIÆ. SCHOLÆ. CARITATIS
VENETIIS.

Inscriptionem hanc exhibuimus etiam Dissertationis hujus capite II.; ubi monuimus, iterum nos de illa hoc postremo capite verba facturos: quod ideo ad hunc locum distulimus, ut ex iis, quæ jam a nobis adnotata superius fuere, clariora ea fiant, quæ observanda supersunt in ipsa Inscriptione, utque omnis de ejus veritate dubitandi tollatur occasio.

Illud itaque plerisque negotium facessere posset, qua nempe ratione in Epigraphe hac nostra, quam vel ad annum 1472. antequam Sacra Tabula Venetias transferretur, vel certe post annum 1463. quo Charta Donationis exarata fuit, sculptam fuisse certum est, Bessario *Episcopus Sabinensis* audiat. Quamvis enim Sabinensi Ecclesiæ datus ille fuerit Præsul anno 1449.; eodem tamen anno, vix mense uno interjecto, ad Tusculanam Ecclesiam translatus est, ut Capite præcedenti docuimus. Jam vero nec Ciacconius in Vitis Pontificum, & Cardinalium, nec ii omnes qui Ciacconianum Opus additionibus, atque correctionibus illustrarunt, nec Ughellius in Italia Sacra, nec ullus alius inter innumeros pæne quos perlustravi Auctores, qui de Bessarione scripserunt, dubitare nos sinunt, quin Tusculanæ Ecclesiæ præfuerit usque ad annum 1472., quo diem supremum obiit; ut paulo infra disertius probabimus. Hinc Christianus Fridericus Boernerus, qui Bessarionis Vitam ultimus edidit in eruditissimo Opere *De Hominibus Græcis, Litterarum Græcarum in Italia instauratoribus*, eodem deceptus errore (*pag.* 48.) mendum procul dubio cubare affirmat, ubi in Panegyrici a Platina post obitum Pii II. conscripti titulo, Episcopus Sabinensis Bessario nuncupatur.

Verum enim vero laudatis Scriptoribus omnibus usque adeo errandi occasio fuit, ni fallor, sepulcralis Inscriptio, quam in Ecclesia SS. Apostolorum Bessario ipse sibi vivens posuit anno 1466; in qua cum Episcopus Tusculanus appelletur, ut re vera eo anno erat, nemini in mentem venit aut dubitandum occurrit,

„ mea in Deum pietate Valete . Bononiæ III. Idus Ma-
„ jas . 1472. "

4. Quan-

---

occurrit, utrum ejusdem, an alterius Ecclesiæ Præsul obierit. Nos igitur Inscriptionis nostræ occasione de hoc dubitandum esse rati, ex ipsius Bessarionis Mss. Codicibus quæstionis hujus solvendæ monumenta conquirere cœpimus : quod quidem nobis non in cassum cessit. Nam & ab eorum Amanuensibus in iis omnibus notis ad Græcorum Codicum 1280. 1285. , & Latinorum 171. 288. 303. 346. calcem appositis ab anno 1469. ad annum 1471. Bessarionem vocari semper Episcopum Sabinensem observavimus , & ipsummet Bessarionem Episcopi Sabini Titulum sibi adsciscere, tum in titulo Librorum suorum *adversus calumniatorem* (Trapezuntium) *Platonis* , tum in Epistola ad Paulum II., qua Libellos suos *de Processione Spiritus Sancti* illi dicat, tum in alia ad eumdem *de Errore Paschatis*, quas primus edidit Cl. Venetæ D. Marci Bibliothecæ Custos Antonius Maria Zanetti (*Biblioth. D. Marci Lat. pag. 76. &* 196.). Sed & Michael Canesius in Vita Pauli II. a Cl. Cardinali Quirino evulgata , & Joannes Aleriensis in Epistola seu Præfatione ad Paulum II. primæ Editioni Operum Apuleji præmissa 1469. Bessarionem non Tusculanum, sed Sabinensem Episcopum appellant.

Horum itaque Codicum , Inscriptioni nostræ conformium , auctoritate nixus, conjeceram Bessarionem a Paulo II. post annum 1467. e Tusculana ad Sabinensem Ecclesiam iterum fuisse translatum ; cum Cl. Comitis Josephi Garampii, cui dubium hoc meum proposueram, humanissimæ Litteræ, quod ego conjiciendo asserueram certissimis documentis confirmarunt : duobus nempe hoc annis post erectum emortuale Bessarionis Monumentum , anno scilicet 1468. prid. Id. Octob. accidisse. Hæc enim, ipso testante , leguntur in *Libro* 81. *Obligat. Cameral. pag.* 50. „ Die 29. Octobris Ven. vir dn. Johannes de „ Hesbon Canonicus S. Severini Colonien. *reverendissimi domini B. Episcopi* „ *Sabinen.* Secretarius , & familiaris obtulit Cameræ Ap. pro communi ser- „ vitio dictæ Ecclesiæ , ratione translationis de persona sua de Ecclesia Tu- „ sculana ad dictam Ecclesiam Sabinen. auct. ap. sub dat. Rome apud S. „ Marcum prid. id. Octob. an. V. Florenos auri de Camera . . . . . " Addit præterea ex eodem Libro pag. 53. Tusculanæ Ecclesiæ Episcopum eadem die quartadecima Octobris Cardinalem Latinum Ursinum fuisse datum.

Hisce minime dubiis testimoniis corrigatur Ughellius tum in Sabinensibus Episcopis, ubi num. 57. nullam de hac secunda Bessarionis ad Ecclesiam Sabinensem translatione mentionem facit , & num. 61. Cardinalem Latinum Ursinum anno 1468. Episcopum Sabinensem electum fuisse scribit post Turrecrematæ obitum, qui in diem 26. Septembris incidit; tum in Episcopis Tusculanis num. 38. ubi Bessarionem hujus Ecclesiæ Præsulem obiisse refert; & num. 39. ubi post Bessarionis mortem ad Tusculanam Ecclesiam fuisse translatum tradit laudatum Cardinalem Ursinum, qui tunc in Sabinensi da-

tus

4. Quanta non Sodalitatis nostræ Confratres modo, sed Veneti quoque Patres, Clerus omnis, totius denique Urbis Cives, populusque, Sacræ Tabulæ adventu, lætitia perfusi fuerint, quantaque animi devotione tantum munus exceperint, facilius mente concipi, quam verbis describi potest. Senatus Consulto solemnis indicta supplicatio fuit die Dominico SS. Trinitatis, qui eo anno in septimum Mensis Junii diem incidit. Publicæ venerationi in Ara Majori Ducalis Basilicæ Pretiosum Pignus expositum fuit, Sacrisque solemniter a Venetiarum Patriarcha Maphæo Gerardo (*a*) peractis, Serenissimo Principe, & Dominio, ac reliquis Patribus, Civibusque comitantibus, ad Caritatis Ædem deductum, firmato altrinsecus ponte ligneo, ut pervium omnibus iter pateret. Tantæ solemnitatis, ac pompæ descriptionem fusius prosequuti sunt ipsi Sodalitatis Confratres, datis Amplissimo Cardinali Litteris, quas hic ex Autographo exhibemus.

„ Fraternitas Charitatis Venetiarum Summo Patri, &
„ Domino Bessarioni Cardinali Niceno Salutem.

„ Munus tuum sicut preciosissimum, ita religiosissimum
„ accepimus qua veneratione, & pietate decet, perlatum
„ nobis a tribus Procuratoribus tuis, viris spectatissimis,
„ & in obeundis strenue mandatis tuis hominibus diligen-
„ tissimis. Letati, & gavisi sumus quam maxime omnes;
„ imo

tus fuit illi successor. In eumdem errorem, ex defectu prædictorum monumentorum, impingere coactus est Joannes Palatius, qui in *Fastis Cardinalium* Titulum Tusculani post Sabinensem Bessarioni attribuit, neque hunc illi post dimissionem Tusculani Tituli restituit: in quo errarunt ceteri omnes qui Bessarionis gesta memoriæ tradiderunt.

(a) In Sodalitii nostri Confratrum album receptus fuit Patriarcha Maphæus Gerardus Idib. Januar. 1487. M. V. laudato Jacobo Parleone Magno Custode.

„ imo universa hec inclita Civitas talis, ac tanti muneris „ donatione, cum propter divinitatem tam sublimium, & „ rarissimarum Reliquiarum, tum donantis excellentia, & „ liberalitate. Es enim, & merito haberis inter optimos „ clarissimus, inter clarissimos optimus, inter utrosque sa- „ pientissimus. Multa nimirum extant vel varietate sua, „ vel magnitudine preclara tua merita in hanc Nobilissi- „ mam, & Illustrissimam Civitatem. Sed nullum hoc tuo „ novo, & recenti beneficio fieri potest preclarius. Quid „ enim preciosius eo, si ultra aurum, & argentum, atque „ affabrefactum opus, Divine Crucis, & Vestis reliquias „ spectes? Nemo est certe sive Rex, sive Princeps, qui pro „ hujus generis thesauro comparando non omnes fortunas „ effunderet. Quid preterea religiosius, & Sanctius quam „ spectare, & adorare particulam Ligni in quo Christus „ Deus Optimus Maximus Crucis subire tormentum Re- „ demptionis nostre causa non dubitavit? Particulam item, „ inquam, Vestis, & amiciminis quod contigit, atque „ contexit divina illa, & vivificantia Servatoris nostri „ membra, interposita Cruce aurea cum faberrimo Cruci- „ fixo. O rem admirabilem, & stupore dignam. O munus „ pretiosum. O liberalitatem, & magnificentiam omnibus „ seculis predicandam. Cetus, & Fraternitas nostra hoc „ tuo pio, & immortali munere illustrata, non modo te „ dignitate Principem, Pietate Patrem, Charitate Fratrem, „ omni laude, & veneratione prosequi non desistit, sed & „ gratias agit maximas, majores habet tue amplitudini; „ summa omnia optat, vitam quamdiutissimam, felicita- „ tem, & ad extremum Celestis Patrie adeptionem jugi „ oratione precatur pro talibus meritis.

„ Quan-

„ Quantum autem in nobis fuit, nichil omnino preter-
„ misimus, quod ad ipsius Sancte Crucis, & muneris tui
„ nobilissimi venerationem pertineret. Accessit ad studium
„ nostrum mira benignitas, & propensa voluntas Illustrissi-
„ mi Principis, Dominii, & Senatus, incliti nominis tui in
„ primis studiosissimi. Affuerunt omnia, que in declaranda
„ pietate, & letitia publica, ac tali munere decorando
„ prestanda erant. E vestigio Senatus Decreto solemnis sup-
„ plicatio indicta fuit. Dictus dies Dominicus Sancte Tri-
„ nitatis; quo delata, & statuta Sanctissima Cruce ipsa
„ super Altare Divi Marci preciosis, & relucentibus gem-
„ mis referto, licuit passim omnibus eam spectare, &
„ adorare, tantisper dum & Res Divina religiosissime fieret,
„ & Clerus cum quatuor Fraternitatibus Civitatis nostre
„ lucentissimis funalibus, & religiosis canticis conveniret in
„ ipsum Templum. Peracta autem Re Divina, cantata
„ Missa a Reverendissimo Patriarcha Venetiarum, presente
„ Principe, & Dominio, ac reliquis Patribus procedere
„ pompa occepit, gestantibus Sacerdotibus Crucem, ac
„ obumbrante veste deaurata. Adambulabant Liriste pari-
„ ter, & Cithariste, atque alia Musicorum diversa gene-
„ ra pulsantes, & cantilantes suavissime. Prosequebantur
„ Patres in densissimo, & frequentissimo numero, & reli-
„ qua turba Civium incredibili devotione; ut cunctam Ci-
„ vitatem studio videndi, & adorandi effusam diceres adeo
„ usque ut pre multitudine utriusque sexus vix transiri po-
„ terat, donec ventum est ad Templum, & Edem Chari-
„ tatis, receptaculum tam pii, & Divini Muneris: & ne
„ per transitum canalis interpellaretur, remorareturve cur-
„ sus multitudinis, firmato altrinsecus ponte ligneo pervium

iter

„ iter omnibus factum est , sicut in anniversaria solemni-
„ tate , & publico Festo Divi Viti Senatus facere consue-
„ vit. Fuit preterea pulcherrimum, & pietate maxima di-
„ gnum spectaculum videre Religiosos Templi Charitatis
„ indutos Pluviali , & Sacerdotali Veste Carmen Sacrum
„ iterantes, pomparum more , & supplicationum prodire
„ obviam tunc Sancte Cruci, & venientem excipere , ex-
„ ceptamque collocare , & statuere in trono , quod para-
„ tum ad id fuerat ornatissime . Totus ille dies ad vespe-
„ ram usque concursu , & conventu hominum spectan-
„ tium , & adorantium , ac lacrimoso vultu adprecan-
„ tium Crucem ipsam consumptus est . Te donatorem ,
„ Te auctorem tanti Muneris prope vociferantium , &
„ admiratione prosequentium.

„ Hec voluimus pro pietate , & Officio nostro Tibi
„ nota facere, ut intelligas Munus tuum pie , & immor-
„ taliter positum , & collocatum esse . Decrevimus autem
„ Muneri ipsi Divino Tabernaculum, & Monumentum faber-
„ rimum in loco Edis nostre Fraternitatis celebri, & conspi-
„ cuo, cum Inscriptione Nominis Tui honorificentissima.
„ Servabimusque diligentissime, & in supplicationibus, atque
„ solemnitatibus ad Immortalis Dei gloriam, Amplitudinis
„ Tue sempiternam pietatem, & Fraternitatis nostre orna-
„ mentum, Cruce ipsa Sanctissima perpetuo utemur, populo-
„ que devotissime adorandam eam, ut jubes, exhibebimus. Vale.

„ Venetiis die Sexto Mensis Julii 1472.

„ Reverendissime Dominationis Tue

„ Filii Devotissimi

„ Guardianus (*a*), & ceteri Colleghe Charitatis.

(a) Erat tunc Magnus Sodalitatis Custos *Andreas de la Sega* , Francisci illius

5. Lugduni tum degebat Bessario, cum ad eum Confratrum

illius nepos, qui primum Canonicus Tarvisinus, non tamen in Sacris Ordinibus constitutus, deinde Magnus Venetæ Reipublicæ Cancellarius, anno 1470. obierat, exacto in amplissima illa dignitate trigesimo, & eo amplius anno. Consule P. Joannem de Augustinis in Scriptoribus Venetis Tom. II. pag. 91.

Quoniam vero hic de Magno Sodalitatis nostræ Custode sermo recurrit, religioni mihi ducerem, si ejus temporis Privilegia ipsi concessa prætermitterem. Non enim solum *Magnifici* titulo decorabatur, & Veste, quam Ducalem vocant, exornabatur (quod commune aliarum etiam hujusmodi Sodalitatum Magnis Custodibus erat) sed eodem amictus indumento in solemni supplicatione, quæ die SS. Vito, & Modesto sacra fieri solet, ad Serenissimi Ducis latus incedebat, Sodalitatis etiam Cancellario eodem habitu induto comitante: quod Privilegium illis concessum fuit, quia Caritatis Confratres anno 1310. adversus celebrem Bajamontis Theupoli conjurationem arreptis armis pro Principe, ac Patribus fortiter dimicarunt. Facti hujus memoriam litteris consignavit Anonymus illius temporis dictæ conjurationis Scriptor, cujus mihi copiam summa humanitate fecit eruditissimus, præstantissimusque Senator Petrus Gradonicus de Confinio S. Justinæ. In ejus autem rei perenne monumentum, ut laudatus Auctor tradit, purpureum illud Vexillum in Platea D. Lucæ erectum fuit, Sodalitatis nostræ Stemmate ornatum, quod adhuc erectum servatur.

Hoc autem Stemma, quod etiam ære incisum in Operis hujus fronte exhibuimus, ex Cruce constat aurea, seu flava ejus speciei, quam artis hujusmodi Auctores *ancoratam* vocant, duos concentricos circulos pariter aureos, seu flavos, alternis nexibus implicata, ita intersecans, ut minoris circuli aream in quatuor dividat quadrantes, quorum duo ad verticem oppositi rubri coloris, duo vero alii virides adparent; reliquam autem aream inter minorem, & majorem circulum, in quatuor pariter æqualia mixtilinea segmenta quadrangulæ formæ, ita disposita, ut duo, quæ viridium triangulorum basi subsunt, rubra sint, quæ vero rubrorum basi, viridia. Porro qui Sodalitatis nostræ Stemma excogitarunt, hoc sibi indicandum proposuerunt, necesse esse Caritatem cum Fide, & Spe mutuo vinculo conjungi: quod ex MS. Anonymi antiquo Chronico discimus apud sæpius merito laudatum Cl. Senatorem Flaminium Cornelium (*Eccl. Ven. Dec. XI. Par. 1. pag. 290.*) his verbis:
„ La prima fu sotto il nome di S. Maria della Carità, la quale adopera le
„ cere rosse per segno che bisogna che la Carità sia ardente, & ha per in-
„ segna una Croce zala in mezzo anzi attraversa in due cerculetti simil-
„ mente zali con li colori verdi, & rossi remessi per le parti che descrive
„ la predetta Crose. Havendo opinion quei che prima instituirono questa in-
„ segna de mostrar l' union, ch' è necessario che abbia la Carità con la Fe-
„ de, e con la Speranza.

trum noſtrorum Litteræ delatæ fuerunt; quas ab eo benigne admodum, & ſingulari grati animi affectu exceptas fuiſſe diſcimus ex ejuſdem Epiſtola altera, ad eos Idibus Septembris Lugduno data, quam ex Joannis Caroli Sivos (*a*) Mſs. Codicibus exſcriptam, nobiſque a ſuperius laudato Cl. Senatore Petro Gradonico humaniſſime traditam, publici juris nunc primum facimus.

„ Spectabilibus Viris Cuſtodibus, & reliquis Collegis
„ Domus Caritatis, Fratribus Noſtris Cariſſimis
Beſſario Cardinalis Salutem.

„ Non potuit honorificentius mea in Vos Pietas accipi;
„ nam video omnia preſtita eſſe in Sanctiſſimis Reliquiis,
„ aut dicandis, aut venerandis, que vel ad Nomen Divi-
„ num colendum, vel ad mutuam Caritatem dedurandam
„ (ſ. decorandam) pertinebant. Tanta autem preſtitiſtis,
„ quanta capere non poſſum, nec debeo; ſunt enim Di-
„ vine illius digna Majeſtatis, cujus cauſa & nos munus
„ iſtud miſimus, & Vos tantis honoribus accepiſtis. Iſtam
„ tamen hilaritatem (ſ. liberalitatem) veſtram, quoniam
„ amantiſſimis mei animis proficiſcitur, perlibenter acci-
„ pio, agoque gratias ingentes tante benevolentie, & cari-
„ tati, cujus nomine initiati ſumus, & Fratres. Quod in
„ munere honorando decreviſtis de Tabernaculo, cum be-

T 2 „ ne-

(a) Joannes Carolus Sivos, celebris Sæculo XVII. ineunte Medicinæ Profeſſor, & Sereniſſimi Ducis Joannis Bembi Medicus, fuit Sodalitatis noſtræ Confrater, unaque, & altera vice Cuſtodis Majoris munere functus eſt, primum anno 1607; deinde anno 1614. Ejus Opera Mſſ. multigenæ eruditionis apud Patricium Venetum Petrum Memo ſervantur.

„ nevolentiam agnofco erga me, tum veftrum in res divi-
„ nas ftudium maxime admiror, & laudo; eft enim piif-
„ fimum, & apud Immortalem Deum uberrimum fru-
„ ctum Vobis allaturum. Valete. Lugduni. Idib. Septemb.
„ 1472. "

6. Beneficentiffimi Cardinalis munificentiam pluribus, ut par erat, publicis grati animi monumentis profequuti funt Sodalitatis noftræ Confratres. Nam præterquamquod Sacræ Tabulæ ftatim in Sodalitii Sacello interiori, quod vulgo *Albergo* vocant, nobile Tabernaculum erexerunt, peritioribus, qui tunc Venetiis aderant, artificibus ampla mercede conductis (*a*), benemeriti quoque Donatoris effigiem pingendam, fub eaque marmoream hanc Epigraphen infculpendam jufferunt.

SI QUANDO, FRATRES, OCULOS HUC ADJECERITIS, BESSARIONIS CARDINALIS MEMORIAM PIE COLERE NE GRAVEMINI, QUI MAJORUM VESTRORUM IN SE ANIMUM, ATQUE OBSERVANTIAM GRATE REPUTANS, LIGNO CRUCIS SANCTISSIMO, SERVATORIS TUNICA, MULTISQUE PRÆTEREA RELIGIOSISSIMIS, AC PRETIOSISSIMIS MUNERIBUS SE IPSUM PRIVANS, IIS SACRARIUM HOC VESTRUM, ET VETUSTATE, ET SANCTIMONIA APUD OMNES CLARUM, VIVENS PERPETUO DECORAVIT.

6. Pretiofa alia munera, de quibus in Infcriptione hac no-

(a) *Cod. Sodal. vulgo* Quaderno H. pag. 161.

nostra mentio fit, fuerunt insignis vere portio Purpurei illius Vestimenti, quo a militibus, quibus eum Pilatus tradidit flagellandum, indutus fuit Christus Dominus; & quatuor ex Dominica Corona Spinæ. Sacra hæc quoque Lipsana, aliaque permulta, quæ in Sacrario Sodalitatis nostræ religiose servantur, in Catalogum digesta, pro Dissertationis hujus coronide illustrare decreveram. Verum cum multa adhuc de illis inquirenda mihi supersint monumenta, alias id, Deo dante, præstabo.

7. Dictam porro Bessarionis effigiem quis tunc pinxerit ignoramus. Probabile tamen videtur celebris Gentilis Bellini opus fuisse, quo artifice id temporis dicto Tabernaculo picturis exornando usos fuisse Confratres nostros ex laudato Codice discimus: idque eo vel magis verosimile est, quia laudatus Gentilis eumdem Bessarionem pinxerat in Tabula Aulæ Majoris Consilii, in qua Pontifex, & Dux Venetiarum Legatos ad Imperatorem Fridericum mittentes repræsentabantur (*a*). Porro Franciscus Sansovinus (*b*) eam Imaginem albo Sodalitatis indumento velatam a pictore fuisse repræsentatam refert. Verum cum eam anno 1540. impius nescio quis furatus fuerit (*c*), Janectino Cordegliaghi, qui a nonnullis (*d*) Cordella vocatur, & inter celebriores Joannis Bellini discipulos numeratur (*e*), novam aliam condendi munus impositum fuit; qui pereleganti pictura tanti Viri effigiem Monachali S. Basilii habitu indu-

T 3 tam

(a) *Joann. Bottari Not. ad Vasarium Tom. I. pag.* 405.
(b) *Venez. Descritta Lib. VII.*
(c) *Notator. II. pag.* 134.
(d) *Boschini Miniere della Pitt. pag.* 361.
(e) *Bottari l. c. pag.* 501. *Not. II.*

tam (*a*) , & dextera manu Sacram Tabulam de qua agimus geſtantem exhibuit . Effigies hæc , quam etiam ære inciſam Operi huic noſtro præmiſimus , ſumma diligentia adhuc ſervatur in eodem Sacello , quod anno 1744. elegantius inſtructum fuit , hac nova Inſcriptione adpoſita , qua iterum Sodalitas Caritatis , poſt tria circiter ſæcula, beneficiorum, quibus ab Ampliſſimo Cardinali affecta fuit, memorem, ac nunquam intermoriturum animum teſtatum voluit .

Beſſarion S. R. E. Cardinalis Archiepiſcopus Nicænus
De Munere Singulari, & Pretioſo Erga Majores Noſtros Benemeritus
Ligni SS. Crucis, Purpuræ, Tunicæ Inconſutilis, Et Quatuor De Corona Spinarum
Quæ Una Cum Aliis De Columna, Et Sepulcro Servatoris Particulis, Sanctorumq. Reliquiis
Minus Prius Religioſe Reconditæ, Et Pio Cultui Minus Manifeſtæ
Pietate Confratrum Sacello Hoc Elegantius Inſtructo,
Et Sacrario Cum Altari Exſtructo, Splendidius Publicæ Adorationi Collocatæ Sunt.
Effigies vero, Quam Deſuper, Lector, Intueris In Magis Grati Animi Monumentum
Hoc Anno Ab Orbe Reparato MDCCXLIV. Præfixa Fuit.

8. Verum quanta animi reverentia , ac devotione Caritatis Confratres tanti Benefactoris memoriam ſemper coluerint, Sacrumque ejus munus cuſtodierint , teſtantur innumera documenta, quæ in Sodalitii noſtri Codicibus paſſim

---

(a) Eodem Monachali habitu Cardinalis noſtri effigies picta fuit cum in dicta Tabula Aulæ Majoris Conſilii , tum etiam Bononiæ a Galaſſo Galaſſi in Eccleſia S. Mariæ de Monte , ut teſtatnr Baruffaldus apud laudatum Cl. Joannem Bottari in additionibus ad notas ad Vaſarium Tom. II. pag. 26.

ſim leguntur. Unum, vel alterum memorabo, ne nimia ſermonis prolixitate lectores diutius detineam, ac faſtidio afficiam.

Notum ſatis eſt quem Optimi Cardinalis noſtri Legatio ad Ludovicum XI. Galliarum Regem, exitum habuerit. Nam cum ille ad Burgundiæ Ducem iter primum feciſſet, quod ſine Regis offenſione id fieri poſſe judicaſſet, ejus rei cauſa Regis in ſe odium ita concitavit, ut haud benigne exceptus, infectis rebus in Italiam redierit. Quo factum eſt, ut ex animi mœrore ob ignominiam ipſi illatam, in itinere in morbum inciderit (*a*); & Taurino Ravennam Pado devectus, ea in Urbe, in Palatio Veneti Patricii Antonii Danduli, tunc Ravennæ Prætoris, a quo munificentiſſime fuerat exceptus (*b*), anno 1472. (*c*), XIV. Cal. De-

(a) *Papienſ. Epiſt.* 534.

(b) *Joann. de Auguſtinis in Scriptorib. Ven. Tom. I. pag.* 512. *ex Cod. Mſ. ap. P. V. Henricum Dandulum ſervato.*

(c) Pontanus in notis ad Phranzæ Chronicon pag. 314. ait Beſſarionem obiiſſe anno 1473. Idem fuit error Ughellii in Tuſculanis Epiſcopis num. 38. Jacobi Boiſſardi in *Elogiis Virorum Doctr. Illuſtr. pag.* 221. & Joannis Trithemii in *Scriptoribus Eccleſiaſticis num.* 821. Rocchus Pyrrhus *Lib. III. Sicil. Sacr. pag.* 511. mortem ejus confert in annum 1474. Aubertus Miræus in *Auct. de Scriptor. Eccl. pag.* 459. affirmat eum obiiſſe anno 1466. nempe confundit annum, quo Beſſario ſepulcrale monumentum ſibi vivens poſuit, cum anno quo diem obiit ſupremum. In alium errorem lapſus eſt Sanſovinus in Chronico, dum hujus Cardinalis mortem anno 1468. aſſignat; fortaſſe ultimum tituli Tuſculani annum cum anno emortuali confundens; vel cum anno, quo Venetæ Reipublicæ Bibliothecam ſuam dono miſit vivens, quam falſo Sabellicus, ante Sanſovinum, teſtamento legaviſſe ſcribit *Hiſt. Ven. Dec. I. lib. II. pag.* 43. *edit. Ven.* 1718. Porro Phranza Lib. III. cap. 30. & ex eo Panvinius, ad annum 1472. mortem ejus referunt: quod etiam colligitur ex Cardinalis Papienſis Epiſtola 488. & ex antiquis Sodalitii noſtri Necrologiis.

Decembris (*a*), anno ætatis suæ 77. diem obierit supremum: omnibus desiderium sui relinquens, & præsertim Venetis Patriciis, *qui partim privato officio, partim publico ad eum venerant; quique videntes irruentem turbam suis humeris elatum corpus in Episcopium detulerunt, præbueruntque omnibus deosculandum, atque venerandum;* ut ait Incertus Auctor funebris Orationis in ipsius Bessarionis laudem, Romæ in Basilica SS. Apostolorum habitæ (*b*). Itaque VIII. Id. Decembris ejusdem anni, omni ut decuit magnificentia, benemerito Cardinali justa persolverunt Sodalitatis nostræ Confratres (*c*); anno vero 1480. Prid. Id. Novembris in Generalibus Comitiis captum est (*d*), ut anniversaria obitus ejus dies solemni exequiarum pompa quotannis in Ecclesia Caritatis recoleretur: quod quidem semper servatum fuit, atque adhuc servatur diligentissime, funebri pegmate ea die erecto, eique sub umbella purpureo galero superimposito, quod in dicto interiori Sacello e regione Bessarionis Imaginis appensum custoditur.

9. Pretioso autem muneri religiose in supplicationibus deferendo plures dicti dies. Nam prædicto anno 1480. Idib. Novembris statutum est (*e*), ut singulis B. Virginis sole-

---

(a) Laudatus Phranza Bessarionis obitum die 15. Novembris, Panvinius vero, & post eum ceteri Scriptores die 18. mensis ejusdem accidisse scribunt; Sodalitatis nostræ Necrologia diei ejusdem mensis 19. hoc adsignant. Sed duæ postremæ discordiæ facile conciliari possunt, si supponatur, quod probabile est, eum nocte media inter 18. & 19. diem Novembris occubuisse.

(b) Orationis hujus, typis editæ sine loco, Typogr. & anno, fragmenta nonnulla refert Cl. Apostolus Zenus, & ex eo laudatus Joannes de Augustinis Tom. I. pag. 513.

(c) *Cod. vulgo Ordinario ad Ann.* 1482.

(d) *Notator. Pergam. Cap.* 50.

(e) *Ibid. Cap.* 51.

ſolemnibus Feſtis, ſingulisque diebus, quibus Comitia celebrantur, Sacra Tabula intra Sodalitii parietes circumferatur: quod Anno 1517. 4. Id. Majas etiam ad diem Inventionis S. Crucis extenſum fuit (*a*). Porro ex quo Sacrum hoc Pignus Venetias delatum eſt, uſus invaluit, ut in publica ſupplicatione Veſpere Feriæ V. in Cœna Domini fieri ſolita, ad Baſilicam D. Marci pegmati impoſitum deportetur, cui duobus Thuriferariis præcedentibus, quatuor Sacerdotes adſint Tunicis (vulgo Tunicellas vocant) induti.

10. Inter optimas vero ſanctiones, quibus Sacro huic Pignori cultus identidem fuit adauctus, illa honorificentior habenda eſt, qua die v. Menſis Januarii Anni præſentis, etiam in ſolemni pompa ejus diei, quo Corporis Chriſti Feſtum celebratur, illud deferendum eſſe decreverunt. Pietate namque, & Religione Generalis Conventus cautum eſt, ut in publicis ſupplicationibus pegma Sacræ Tabulæ ſtatuendæ deſtinatum, a quatuor Sodalitatis Confratribus albo ejuſdem Sodalitatis habitu indutis circumgeſtetur, iiſdem præcedentibus Thurificatoribus, comitantibuſque Sacerdotibus.

Hæc ſunt, Illuſtriſſimi Domini, quæ ad Sacrum hoc Phylacterium, atque ad Ampliſſimi Cardinalis Beſſarionis memoriam illuſtrandam in unum colligenda, & veſtris oculis, animiſque exhibenda eſſe judicavi. Vos igitur laborem hunc meum iis quibus ſoletis humanitatis, ac benevolentiæ ſignificationibus excipite. Eo enim conſilio ad hanc exaran-

---

(a) *Ibid. Cap.* 122.

exarandam Diſſertationem animum appuli, ut & Vobis jubentibus morem gererem, & meam in Vos omnes obſervantiam publico teſtimonio comprobatam apud poſteros relinquerem.




VENETIIS,

MDCCLXVII.

TYPIS MODESTI FENTII,

SUPERIORUM PERMISSU.



A



B



IC XC


HTAV PωCIC

H H

D



C



E




F





G


A
B
D
C
E
F
G

